JOANNIS LAURENTII

LUCCHESINII LUCENSIS

E SOCIETATE JESU

Sacræ Congregationis Rituum Conſultoris

BIBLIOTECA NAZIONALE V. E. ROMA

MAURITIUS

IMPERATOR,

E T

ARTABASDUS

IMPERII PRINCEPS.

TRAGOEDIÆ.

CARMINUM TOMUS SECUNDUS.

ROMÆ, MDCCXI.

Typis, & Sumptibus Georgii Plachi. *Sup. Per.*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

Præpoſitus Generalis Societatis JESV.

CUm librum, cui titulus: Mauritius Imperator, & Artabaſdus, Tragœdiæ: a P. Joanne Laurentio Luccheſinio Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratiâ has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus.

Romæ die 17. Auguſti 1711.

Michael Angelus Tamburinus.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Imprimatur, ſi videbitur

Reverendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Archiepiſcopus Theodoſiæ Viceſgerens.

Approbatio Illuſtriſs. & Reverendiſs. D.

VINCENTII SANTINI

Sacri Cubiculi SS. D. N. Honorarii.

JOannis Laurentii Luccheſinii e Societate Jeſu Tragœdias, juſſu Reverendiſſimi Patris Gregorii Selleri Sacr. Palatii Apoſt. Magiſtri, diligenter evolvi, atque in iis

nihil

nihil non bonis Moribus, ac Religioni conſentaneum animadverti: immo verò quò major fuit legendi diligentia, eò nunc magis a me fides mea poſtulat, ut Auctorem doctiſſimum ſingulari commendatione proſequar, quòd, Sanctiſſimi Inſtituti ſui memor, literarum ſtudia non tam ad humanitatem, quàm ad Religionem, & rectam Morum inſtitutionem contulerit, oſtenderitque, quemadmodum, muliebribus etiam amoribus a ſcena ſubmotis, Dramatica jucundè, & cum dignitate, tractari poſſit. Quæ res cum ſummum Ingenium, ſummamque Doctrinam deſideret, Tragœdias has publica luce digniſſimas puto, ut iis, qui in hoc Poeſeos genere verſantur, admirationi, atque exemplo, eſſe poſſint.

Vincentius Santinus.

Imprimatur.

Fr. Gregorius Selleri Ord. Prædic. S. A. P. Mag.

MAU-

MAURITIUS
IMPERATOR.
TRAGOEDIA.

ARGUMENTUM HISTORICUM.

MAuritius Imperator, eò quòd auro non redemiſſet milites ſuos, qui trucidati deinde ſunt ab Abarum Duce, ut celerem ſuo crimini pœnam infligeret in hac ſcena mortalitatis, exoravit ultorem Deum. Phocas Centurio, ſalutatus ab Exercitu Imperator Divini Judicis fuit adminiſter. Exhibitæ per viſum Mauritio ſunt primæ literæ, quibus Phocæ pingitur nomen. At ſuſpicio, qua Philippum Prætorii Præfectum, ac Generum ſuum eiſdem innui hariolatus eſt Cæſar, maximum innocentiſſimo viro diſcrimen peperit. Invadente Conſtantinopolim Phoca Mauritius fugam capeſſivit. Sed ad littus a concitata extemplo tempeſtate rejectus ſuos ante oculos mactari filios conſtantiſſimè vidit. Cumque Nutrix natu minimum occultaſſet, ut ſupereſſet Cæſareum germen, & alium puerum lictoribus obtuliſſet, noluit Mauritius ſui gratiâ interfici illum, qui ad ſe minimè pertineret, ac ſuum detexit: nec alia uſque ad interitum uſurpavit verba, quàm illa ſapientiſſimi Regii Vatis: *Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum*. Donatum Regno immortali fuiſſe Mauritium divinitus oſtenſum eſt Sanctitate nobilibus viris. Baronius Tomo Octavo

Ann. Eccl. Anno Chriſti ſexcenteſimo ſecundo. Nicephorus lib. 18. cap. 38.

Ne Lectores eruditi mirentur breviſſimas plerumque, contra morem Antiquorum, a ſe reperiendas eſſe hujus Tragœdiæ Scenas, noverint eamdem, priuſquàm Latinis, fuiſſe ſcriptam Italicis Carminibus publicè habendam, ut frequenter habita eſt Romæ, Bononiæ, Parmæ, ac Senis. Conſulendum igitur fuit noſtri ſeculi ingenio amantiſſimo brevitatis.

PERSONÆ.

Hyrcanus Imperii Princeps ſtudioſus Phocę.
Leo Mauritii Frater.
Nicander Imperii Princeps amicus Hyrcani.
Mauritius Imperator.
Philippus Mauritii Gener Prætorii Prę fectus.
Aletes Imperii Princeps Mauritio fidus,
Tiberius Mauritii Filius.
Conſtantinus Tiberii Frater.
Zoroaſtres Magus.
Puer Symphoniacus.
Sanguis Militum extinctorum, intra proſcenium.
Tiſiphone.
Juſtitia Divina.
Phocas Imperator.
Alvantes Dux militum Phocę.
Miles Phocę.
Oranus Prętorianorum Tribunus.
Miles Prętorianus.
Pax Divina.
Nautę duo intra Proſcenium.
Puer creditus Mauritii Filius.

Scena Conſtantinopolim exhibet.

ACTUS

ACTUS PRIMUS

SCENA PRIMA.

Narrat Hyrcano Leo imperatum ab ſe fuiſſe militibus, ut prope Iſtrum hyement: & Mauritium laudat, eò quòd alios ignavos Abarum vinculis non exemerit. Id a ſe probari fingit Hyrcanus.

Hyrcanus, Leo.

Hyrc. Generoſe, ſalve, frater Auguſti, Leo.
Leo. Hyrcane, ſævus quando nunc Aquilo hyemem
Efferat, & atro regna Neptuni ciet
Turbine, ferendo bella qui Norvegiæ
Æſtiva tulimus frigora armorum gravi
Æſtu gementes, grata nunc patriæ in ſinu
Libamus otia, & ſuper menſas juvat
Magnanima vino Cretico diſcrimina
Pingere, deditque Argiva quod vindemia.
Ignava ſed qui terga verterunt fugæ,
Abarum latronum ſigna metuentes, prope
Iſtri fluenta trahere gelidam hyemem decet.
Hyrc. Quiſquis catenas timuit, a ventis aquas
Hilaris videbit compede rigenti indui;
Dum Chia nos libamus & vina, aut dedit

Quæ dona Naxus lapide vitifero ferax,
Ipſi ſecuri evanidam vappam ſecent.

Leo. Mavortis honor, Hyrcane, Mauritii probas
Conſilium? Avaro noluit de Abarum Duce
Repetere pretio milites, noſtri probrum
Nominis, in ipſa ſponte qui vincla hoſtium
Dextram intulere?

Hyrc. „ Damna dedecori velit
„ Inſanus addere? Bellicam fortè aleam
Tentare rurſus turpe mancipium audeat?

Leo. „ Elapſa vinclis cerva ſi in telum ruit,
„ Ceu tigris ebria ſanguine, & fortes erunt,
„ Iners aduſſit queis rigens chalybs latus.

Hyrc. „ Medicata fuco lana ut amiſſum nequit
„ Rurſus colorem haurire: cum ſemel excidit,
„ Sic vera virtus pectora haud iterum ſubit.

(Supervenit Nicander, qui furtivè audit ex latere Scenæ)

Leo. Impreſſa magni Attilii veſtigia
Mauritius urget. Ille dura compede
Noluit inertes eximi: & mundus licet
Dixerit: ematur vile Cervorum genus,
Ne ſtrenuo in Duce pereat fortis Leo;
„ Exempla vetuit, vulgus a quibus impudens
„ Inertiâ putaret & vitam pari
„ Quandoque poſſe. Ut improbi pœnas darent,
„ Urbi phalangem in dextera eripuit ſua.

Hyrc. Collatio præclara virtutis.

Leo. Juvat
Me nunc repetere regiam.

Hyrc. Fœlix abi.

SCE-

SCENA SECUNDA.

Hyrcanus, & Nicander Leonem, & Mauritium execrantur: & populum conciliare ſtatuunt Phocæ, quem Exercitus ſalutavit Imperatorem.

Hyrcanus, Nicander.

Hyrc. Incude, Steropes, noſter æterna chalybs
Acuatur: igne tela quæ ſtygio flagrant,
Diro imbuantur ſanguine. In campis putas
Quos milites hyemare perpetua nive
Canis, ab axe frigida haud Arctos videt,
Nimium propinquos ſenties; ipſos gelu
Haud concutit: tibi corda conſtringet brevi,
Aures ſonora quando percellet tuba.

Nic. Hyrcane, Lybicam Tigridem audiſti ſuper
Corpora ululare extincta, rurſuſque impios
Rictus cruori immergere?

Hyrc. Heſperio in mari
Non ante Phœbus aureum currum eluet,
Quàm ſcena frontem vertat.

Nic. Etiamnum ſtygis
Prope littus umbræ militum inſontes volant
Tumulo carentes, vinculis quos ſolvere
Renuit Tyrannus, ſordidi nimium tenax
Auri, ſuorum at ſanguinis largus nimis.

Hyrc. Jam fulmen auras ſcindit: urgere ambio
Pennas volantis. Jupiter melior ſacras
Phocas ſagittas torquet. Umbræ proximi
Nemoris phalanges, grande & arcanum tegunt.

Nic. Si dextra quidquam, noſtra ſi quidquam valent
Conſilia, Phocæ conſecro.

Hyrc. Thus Numini

Haud alteri adolemus.

Nic. Adamantina & juvat
Scidiſſe fati fila, ſi regno audeant
Obſtare Phocæ.

Hyrc. Ad arma Tænario e lacu
Commilitonum ſpreta nobiſcum cohors
Conſpiret.

Nic. Atra ſtagna Cociti, vada
Phlegetontis igne & ſulphure undantis, palus
Lethæa inundent peſte Bizantj vias.

Hyrc. Diſcordiam, Rex furve Tartarei ſpecus,
Immitte in orbem: hæc bella viperea e coma
Excutiat, & ruinam.

Nic. Erynnies colant
Jovis profundi regiam: haud ſolùm flagrant
Tres mihi ſorores cordis in fibris.

Hyrc. Novas
Furoris artes ſive ut ediſcat, cohors
Eumenidum in auras prodeat.

Nic. Colubros feræ
Stimulare juvat Alectus, & ſceleris mei
Horrore Furiæ cernere attonitas comas.

Hyrc. Opaca noctis umbra pugnabit meis,
Nicander, auſis, ſplendor atque auri, ſagax
Quo faſcinabo militem Prætorii
Cuſtodem.

Nic. Ab alto nemore furtivas traham
Acies, amica ſigna cum turris dabit.

Hyrc. Clangor tubarum, ſtrepitus armorum, fremens
Pugnantium ira, tecta Bizantj metu
Quatient ſuperbi.

Nic. Blanda fors cæptis ades.

SCE-

SCENA TERTIA.

Mauritius exultat ob victoriam a ſe relatam ex Norvegis, & reſtitutum Solio Perſarum Regem: ab Imperii Principibus commendatur.

ROMA

Mauritius, Philippus, Aletes.

Maur. Partas triumphans nuntius palmas refert
Aquilonis ad nivalis extremum latus,
Diuturna nox informem ubi fixit domum:
Phœbuſque nobis vota ſolventes videt
Populos, adorant qui ſuum rarò jubar.
Phil. Magnanime, vaſti, Cæſar, Imperii arbiter,
Fines quod hinc Oceani, & hinc cæli ambiunt;
Cui Sors rotam conceſſit, ut vertigine
Illam perenni flectere, aut clavo queas
Adamantino frænare.
Alet. Tranquillum Jovis
Subjecta ſydus in capita, Martis ferox
Lux in ſuperbos!
Phil. Victor Alcidæ; tibi
Nam Thracii prope Boſphori anguſtas aquas
Conſurgit Abila, & meta cuicumque ultima
Calpe triumpho.
Maur. Bellica lauro magis
Exhilarat animum Pacis excelſum decus,
Florente qua mea dextra Perſarum fuit
Columna regno nuper. Audaces volant
Si fortius nunc Aquilæ, & interimunt hydros,
Præclara Martis lumina, hoc veſtræ eſt opus
Virtutis: illas veſter impellit labor.
Alet. Nobili in arena dextra ſi exarſit mea,

Exuſcitaſti, Cæſar, illuſtrem rogum.

Phil. Tuum tremore pallido nomen quatit,
Cæſar, rebelles.

Alet. Vita non tantùm agminum,
Et Mens fuiſti, Dextra ſed etiam valens,
Armatus enſe quando fulmineo tuis
Curſu præibas Martio.

Phil. Nunc milites
Alas ſuper virtutis auguſtæ volant
Palmarum ad alta nemora.

Maur. Cæſareas amor
Laudes diſertus auget. At noſtræ inclyte,
Philippe, ſponſe filiæ, haud tantùm hoſtibus
Telum, ſupercilj ipſa ſed nubes tui
Concuſſit artus.

Phil. Ulla ſi in nobis nitet
Scintilla decorum, Cæſaris ab alto trahit
Vitam igne. Laudum in ſemita ad curſum rapis.
Virtutum at in ſublimium aeteo jugo
Urges iter tam ſtrenuè, veſtigia
Ut nulla cernas alia mortalis pedis.
Auguſte, quo nos facilis imperio beas?
Innuis? Anhelus obviam fato ferar,
Fidei phalanges quaſque tribuiſti meæ,
Ducem ſequentur.

Maur. Patris in te amor calet,
Philippe, noſtro in pectore: expendas, licet.
Tua rata ſemper vota Mauritius cupit.

(*Philippus*, & *Aletes cum nulicis abeunt.*)

SCE-

SCENA QUARTA.

Narrant Mauritio Filii horrenda Somniorum viſa, & ab illo ad meliorem ſpem excitantur. Dum fauſta Cæſari adprecari ambiunt, pugnantia cum iis, quæ mente conceperant, proferunt verba.

Mauritius, Tiberius, Conſtantinus.

Maur. Cor inquieta in fronte turbatum lego,
Soboles amata. Mentis arcanum ſinum
Quæ dira torquens cura ſolicitat pedem?
Tib. Furens Avernus, Cælitum & pugnax domus
Conjurat in nos. Lumina ut nuper quies
Sopivit, antro e Tartari vidi horridam
Prodire Furiam, ac tecta Cæſarea ignibus
Vaſtare, ab axe fulminum & nimbos agi.
Maur. Eburna numquam porta ad aures accidit,
Fabella Vatum? Somnium ex illa irritum
Prodivit, aut, quæ frondibus limen nigris
Plutonis ulmus obumbrat, abditum ſuis
Ramis tegebat. Frontis exultans jubar,
„ Pueri, explicate: nec metus falſi mala
„ Vera pariant; nam verus eſt tortor ſui,
„ Suſpicio quem agitat dira. Demiſſo interim
Genu volate precibus ad Superûm plagas:
Et fauſtitatem, gloriam, pacem, aut ſacras
Ab hoſte palmas barbaro, expetite Patri.
„ Qui regna donat, regna conſervat Deus:
„ Enſem hebetat, aut exacuit hoſtilis manus.
(In unum genu Filii procumbunt.)
Tib. Cæleſte Numen, temperat ſi unquam tuum
Pietas rigorem, noſtra ſi ſuſpiria

Ad-

Admittis intra Cælitum templi fores,
Ultio, precamur, debita haud Patrem opprimat.
Ne fulmen illud mitte, quo in cineres tumor
Abiit Gigantum.

Conſt. Mitibus pennis volet,
Mortalis ævi quod breves minuit dies,
Telum triſulcum: Regna quæ mutat, ruat
In nos ſagitta; dummodo haud fulmen vibres,
Quod urget animos Tartari ad nigros lacus.

Maur. Quæ dira verba nuncupas? Palmas pete,
Et fauſtitatem, & gloriam, Imperio, & Patri.

Tib. Sancte æquitatis Arbiter, nam Cæſaris
Te ad ultionem crimina impellunt, feri
„ Hic, hiſtriones fabulam ubi Reges agunt;
Meliora at illi regna poſt obitum refer.

Maur Infauſte ſileas augur: indulget Deus
Utrumque regnum mitis: In cælum erige
Fœliciora vota.

Conſt. Radicem abſtrahit
Qui turbo, ramos franget: irriguum prope
Flumen perennis gaudii in cælo ſati
Rurſus vireſcent. Patre viduatos juvet
Regnare natos?

Maur. Vulnera infigis meo
Cruenta cordi. Surge.

(*Aſſurgunt Tiberius*, & *Conſtantinus*.)

Quis verba inficit
Tua, Nate, coluber, dira qui in Patrem vocas
Fata, & ruinas? Lingua cur fari abnuit,
Quæ genitor imperat?

Tib. Latens vis illigat,
Et ſolvit ora. Luctor hæc verba eloqui:
Da fauſtitatem, Numen, & palmas Patri.
Mea vota ludens aſpera attonitis ſtatim
Faucibus adhæret lingua, quæ dein ſolvitur
In verba menti ignota, tibi animum, Pater,

Quæ

Quæ vulnerarunt.
Maur. Altius telum imprimis
In corda ſaucia. Syderum Rector potens,
Si non ſoluta militum vincla exigunt
De me ultionem, ad aſtra direxi preces,
Ut hìc ferirent. Alma ſed pietas mihi
Spondere veniam viſa: non unquam dies
Mihì fulſit hilarior. Plaga gelidi Poli
Subjecta nuper: regnaque ex nobis petunt,
Vitamque Reges: Indole auguſti latus
Mihi coronant filii; aſt alius petens
Nabathæa regna, luſtrat Orientem, velut
Sol Principum. Haud iratus exitium igitur
Minatur æther. Quælibet noſtrum tamen
Caput obruat procella, dum fulmen pios
Afflare natos nequeat. Eſt genitor reus:
Quam ſibi popoſcit, unus excipiat necem.

SCENA QUINTA.

Ut ſibi præſidio Tartari adſit in iis, quæ contra Mauritium machinatur, Zoroaſtrem exorat Hyrcanus. Magicis artibus a ſe retorquendam in Philippum omnem doli ſuſpicionem ſpondet Zoroaſtres.

Hyrcanus, Zoroaſtres.

Hyrc. Serenà rident fata, ſed melius fluent,
Si Rex Averni grande conſilium urgeat.
Zor. Quis furva clauſtra, nox ubi æterna, & quies
Tranquilla regnat, hoſpes irrumpit novus?
Hyrc. Erebi domitor invicte, Zoroaſtres, geris

Qui

Qui Bactriani Regis horrendum Stygi
Nomen, ſacriſque viribus vincis ducem,
Ad magna dextram præpara, & ſceptrum expedi.

Zor. De me quid ambis? Jura naturæ juvat
Reſcindere? Illa melius inſano ilicet
Mutabo Xerſe. Pelagus ad Cælum eveham
Turbinibus actum; blanda Bizantj licet
Nunc libet oſcula mœnibus. Cælum aut traham
Furens in undas, artis arcanæ notis.

Hyrc. Haud nos tua latent decora. Non tantùm ſolum,
Mortiſque regnum flectis, at in axem quoque
Tua ſæpe pugnat dextera, & palmas refert.
Nunc Tartari vim, nunc dolos omnes decet
Exerere, Mundi ut ſceptra Phocas occupet.

Zor. Ad grata, ſapiens, munia, Hyrcane, allicis.
Haud ullus auras carpit Umbrarum Duci
Gratior: in hujus dexteram ſceptrum volat.
Acheron miniſtros operis excelſi dabit.

Hyrc. Mauritium amicis vidua. An hoc Erebo datur?
Prætoriani militis ductor vigil
Philippus ipſe, gratus Auguſto gener,
Armatus aulæ haud foribus excubias agat.

Zor. Tam levia poſcis? Metuet ex ipſis miſer
Perniciem amicis, hoſtibus credet latus.
Si nomen ipſum ſydera oſtendent Ducis,
Qui trudet alto Cæſarem e ſolio, notas
Haud aureas intelliget. Cuſtos eris,
Hyrcane, portæ: Cæſaris caveas fugam.

Hyrc. Orbem ſubi fatalem, & ad Superos cie
Duces Averni: verba concutiant ſolum
Metuenda Tænaro: aerem diræ faces,
Cælumque turbent.

Zor. Ducere ulterius moram
Tibi negatur: ſtudia repetemus ſacra,
Quæ regna Ditis nutibus ſubdunt meis.
Tibi cuncta Ephœbus afferet fuſcus brevi,
Mutanda pronum ad regna quæ pandent iter.

SCE-

SCENA SEXTA.

Recenſentur omina, quæ ruinam Mauritio minitari videntur. Aletes exploraturus ea, quæ Hyrcanus, & Nicander contra Cæſarem moliuntur, mentiri ſtatuit hoſtilem in eundem Cæſarem animum, & ad fictum certamen coram Hyrcano provocare Leonem Mauritii Fratrem.

Aletes, *Leo*.

Ale. Invicte Princeps, parque Mauritio æmula
Virtute frater, dira portendit mala
Terris Olympus, cujus obſcura horruit
Repentè facies.
Leo Plura fatalis patent
Jam belli, Aletes, ſigna, quod nobis furens
Minatur æther.
Ale. Hortus auguriis mihi
Hic fauciat animum.
Leo Zephyrus hìc innocens
Ridebat, atrox Aquilo cum ſubitò irruens
Radice ab ima laureum avellit nemus.
Ale. At nulla ſummo vertice cupreſſus tremit,
Quæ proximo, umbra lugubri, fonti incubat.
Leo Exciſa victrix arbor ad terram ruit?
At regnat audax mortis auſpicium trucis?
Concutitur animus.
Ale. Flebile ut murmur cient,
Auroque rivi mobile argentum inquinant,
Nec ulla vultus cauſa mutati ſubeſt!

Leo

Leo. Suſpirat aer mæſtus.
Ale. Incenſæ enecant
Auræ calentis pectoris triſtes fibras.
Leo Natura plorans ſequitur, aut noſtros prior
Luctus laceſſit.
Alet. Imminentium horrida
Magiſtra rerum vox nigro erupit ſpecu:
Niſi ſponte noxia ſceptra deſtituat, citò
Mauritius alto pronus e ſolio cadet.
Leo Sic, Romuli Fundator Imperii, tui
Præſaga fati immugiit ſylva, & ſacras
Inſaniens Dodona quas coluit Jovi,
Viciſſe quercus viſa.
Alet. Nicandri vafra
Conſilia, & Hyrcani, nocentique illita
Nectare doloſa verba, queis Bizantium
Sus, deque miſcent arbitri populi, & Patrum,
Ultro indicant, quæ fulmen Auguſtum in caput
Excudat incus.
Leo Sæpe furtiva invicem
Miſcere vidi verba, curarum gravi
Pondere fatiſcentes, & attonito ilicet
Pallere vultu.
Alet. Sceleris hic magni color,
In Cæſarem aut feralis eſt iræ nota.
Leo „ Illos in altum mota tempeſtas poteſt
„ Evehere: ne quieta perturbent freta,
„ Metuere præſtat.
Ale. „ Nulla ſed proſtent palam
„ Timoris argumenta. Niſi ſontes prius
Pateant, tueri populus actutum velit.
Leo Tua ſit, Aletes, cura latibula, & dolos
Recludere ferarum.
Alet. Arduum, Princeps, onus
Subire cogis. Quiſquis haud ſervat fidem
Mauritio, Aleti fidat? Haud unquam mihi
Pandent latentis cordis obſcuros ſinus.

Leo

Leo Lethale ſimula virus Auguſtam in domum
Animo fovere, fraudum & artifices, dolos
Nectendo, vince.

Alet. Nulla erit dictis fides,
Niſi eloquantur facta. Cum dirus prope
Hyrcanus aderit, enſe nudato irruam,
Ac ſingularem Martis ad arenam mei
Fratrem laceſſam Cæſaris. Veſaniæ,
Magnanime Princeps, parce; nam parit fides
Tam grande crimen. Belluam immanem minor
Induere laqueis ars nequit.

Leo Laudo ſagax
Conſilium: ad arma deferar. Aletes, tua
Virtute fulta nititur Mundi ſalus.

ACTUS

ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

Certiorem facit Nicandrum Hyrcanus de proſpero conjurationis in Cæſarem curſu, quam ut magis occultet, exhibere ipſe Mauritio ſtatuit fictum Conjuratorum indicem Imperium Philippo decernentium, ut huic abrogetur Præfectura Prætorii.

Nicander, Hyrcanus.

Nic. Fervent cohortes: Protus excelſa dabit
E turre ſignum; tunc, quæ Abydon reſpicit,
Excipiet acies porta. Si Prætorium
Megæra cum ſororibus ſervet, ſimul
Et monſtra vigilent omnia, excubiæ ſtygis,
Clypeus erunt inanis.
Hyrc. At quid, ſi flagrant
Jurata nobis agmina? Hyrcani haud probè,
Nicander, artes noſcis. Invidia fores,
Fraus, & dolus tuetur. Ut flammas alam,
Ad milites regredior.
Nic. At pennis feror
Alipedis ad Phocam, cui Æther explicat
Regale Conopeum, & intextum aureis
Syderibus; aſt illuſtrius in aula dabit,
Cum proferet Sol craſtinum Oceano diem.
Hyrc. Quæ meditor, audi. Noſter Auguſtus latet
Pleroſque: Nomen jurejurando ſuum
Dede-

Dedere plures, contra avarum Cæſarem
Ut ſigna quiſquis efferat, ducem colant.
Si certiorem fortè Mauritium aliquis
Faciat pericli, tuta præſidia occupat,
Fugam aut capeſſit, rurſus ut Bizantium
Funeſtet armis: Jamque Cæſarei metus
Dant ſigna vigiles, gemina quorum acies ſedet
Regalis ad Prætorii pavidas fores.
Ictum occupo, & retorqueo.
(*Oſtendit paginam cruentis notis exaratam.*)
Chartam vides
Cruore pictam? Fida Mauritio cohors
Videtur exaraſſe, nomenque hic ſuum
Dediſſe: finxit arte Zoroaſtres notas,
Quibus Philippum attollere umbones ſuper
Prætoriani militis jurant, palam
Et Cæſarem appellare. Mauritium adeo
Delator. Adhibet ille ſi dictis fidem,
In vincla dat Philippum, & expertem putat
„ Seſe pericli. Clypeum ut abjiciat, metus
„ Suadebit amens; vulneri ut noſtro latus
Præbeat apertum: quælibet dein nuntia
Contemnet, arbitratus, incluſo reo
Supereſſe nil timendum. At indiciis negat
Si fidem adhibere, carpit & ſomnum piger,
Irruet in illum lugubris ſomni ſoror.
Nic. Haud Agrigentum adeo affabrè vidit dolos
Siculis Tyrannis necti. Ad Auguſtum evolo.

SCENA SECUNDA.

Aletes ſimulato in Cæſarem odio rimatur conſilia Hyrcani, qui pari artificio ejus aſtus eludit.

Aletes, Hyrcanus.

Alet. Quouſque furiæ ſceptra torquebunt, ſagax
„ Hyrcane? Iners eſt, quiſquis æternùm miſer
„ Vult eſſe nil audendo.
Hyrc. „ Qui fluctus ciet,
„ Rarò incolumis appellere ad littus ſolet.
Alet. „ Ruina ſi fatalis imminet, juvat,
„ Dum magna forti pectore audemus, premi:
„ Mercari & alto funere perennis juvat
„ Monumenta famæ, magna quæ dum ſit, nihil
„ Reor intereſſe, læva ne ſit, an dextera.
Hyrc. „ Morbo eſt pejor medela.
Alet. „ Virtutem parit
„ Neceſſitas fatalis. Haud verti ſolent
„ Excelſa laudi, nacta niſi fauſtum exitum,
Hyrc. „ Audacter aliquid quiſquis aggreditur, metu
„ Urgetur; aliis imminere ſi cupis,
„ Caveas ruinam.
Alet. „ Quiſquis at diſcrimina
„ Illuſtria petit: dummodo emineat, pavet
„ Nunquam ruinam. Floream quis ſemitam
„ Quæſivit ad prærupta gloriæ juga?
„ Pericla quiſquis quærit, enervat: timens
„ Si hęc præſtolatur, auget. Haud certò miſer
„ Malim eſſe, dubia damna dum metuo.
Hyrc. „ Caput
„ Meum obruent, quæ tela contra Numina
„ Ter-

„ Terrena torqueam.

Alet. „ Aperit actutùm viam,
„ Nodoſque Fatum ſolvit, ut Mundum erigat,
„ Si quem miniſtrum ſeligit.
(*Diſcedit Aletes*)

Hyrc. Nectunt dolos
Hæc verba, & expiſcantur, in noſtro latent
Quæ corde: fruſtra at retia tetendit vafer.
Simulando Ulyſſem vincere Hyrcanus poteſt.

SCENA TERTIA.

Fruſtra Mauritius a muſico cantu medelam quærit animo laboranti.

Mauritius. Puer Symphoniacus.

Maur. Cantum ede: noſtra lumina in fletus eant.
(*Sedentis Cæſaris lateri aſtat Muſicus*)
(*Cantus hilaris*)

Puer. Quas rapuit hyems, arboribus comæ
Redeunt; gelida compede rivi
Exuti mare patrium repetunt.
Alta ſuperbi culmina montis
Non ferit amplius igne trifulco
Jupiter: hilaris ſic redeat dies,
Poſt noctem animi Cæſarei brevem.

Maur. Funeſtus aures vulneret cantus meas.
(*Mæſtus cantus.*)

Puer. Cælum Phœbus Cæſarei fugit
Vultus, & ſubit horrens turbo,
Clara involvens lumina nubibus,
Quas lethales pariunt curæ.
Sed quæ pectus tempeſtas quatit,

Citò quieſcet: fugietque dolor
Trans Ægæi marmora Ponti.
(Sine cantu .)
Jam blanda Cæſaris irrigat corpus quies.
Fauſta umbra læta imagine auſpicia utinam
Serena pingat, regium atque animum erigat.
(Abit Muſicus .)

SCENA QUARTA.

Umbræ Militum extinctorum Mauritium exagitant. Eidem oſtenduntur Literæ Phocæ nomen indicantes, a quibus Philippum innui hariolatur.

Mauritius, Sanguis Militum extinctorum, Tiſiphone. Juſtitia Divina.

Prodeunt Umbræ Militum, & dormienti Mauritio exertis pugionibus minantur, eidem ſpumantem ſanguine pateram exhibent.

Mau. Heu ſomnia! Heu quæ umbræ ultionem flagitant,
Dum fata ſubeunt! Sydera o nimium pigra!
O nox perennis! nimium & in luctus meos
Somne vigilans!
(Poſtquam hæc ſedens, & ſomnians Mauritius dixit, aſſurgit ore truculento)
Ipſe nigra curarum agmina
In me inſtruo? horrida inquieto e Tartaro
An ſpectra ſurgunt?
(Aperitur ſiparium, & picta exhibetur Mauritio ſuorum Militum clades, a quorum ſanguine prodire videtur vox Muſici intra Proſcenium)
(Muſicus intra Proſcenium) Noſter expoſcit cruor
Tuum

Tuum cruorem.

(*Prodit Tiſiphone, & ſerpente verberat Mauritii latus.*

Tiſiph. Milites audis tuos?

Urant avatum dira Tiſiphones flagra.

Maur. Portenta dira! heu perdita umbrarum cohors!

Dehiſce tellus.

Muſic. Noſter à te hauſtus cruor.

Caput execrandum fulgura, & flammæ obruant.

(*Redit Tiſiphone cum accenſa face*)

Tiſiph. Phlegetontis experire ſulphureas faces.

Maur. Heu dira facies! Antra Mauritium ſinu,

Monteſque tegite.

(*Rurſus redit Tiſiphone cum funeſto calice*)

Tiſiph. Sulphur Acherontis bibe,

Avide Tyranne.

Muſic. Sanguinem hauſiſti meum.

(*Juſtitia Divina ex nube.*)

Juſt. Div. Juſtam a ſceleſto criminis pœnam exigam.

Maur. Extinguor, eheu, laceror. Æterna edita

A nocte tandem ſæva Tiſiphone ſtygem

Subivit. Auras carpimus dulces adhuc?

(*Prodit nubes horrida, in cujus ſinu cruentis exaratæ notis videntur literæ P. H. quas latens lumen incendit.*)

Quæ cerno rurſus monſtra? Nomen, horridum

Heu proditoris nomen, ex illis notis

Initia ducit? Heu, Philippus! Impie,

Furiarum alumne! Quò celer animus ruit?

Ex me prius timebo perniciem.

(*Propius ingeruntur Mauritio literæ*)

Ah nimis

Patet ſceleſtus! Adhibeo, Eumenides, fidem;

Peperiſtis etenim, haud vos ferox monſtrum latet:

Repetite Avernum: inſtruite porte nto locum.

(*Recedit nubes, & clauditur ſparium.*)

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SCENA QUINTA.

Tiberius, & Conſtantinus Patrem conſolantur, & Philippum ab illo incuſatum defendunt.

Tiberius, Conſtantinus, Mauritius, Philippus.

Tiber. Auguſte genitor, ore quem præfers metum?
Attonita quid agis lumina, & greſſum rapis?
Maur. Edit medullas, filii, immenſus dolor.
Umbræ nefaſtæ lumina, atque animum obſident.
Conſt. Gelidum timorem mitte: Natorum tuo
Dolore corda lancinas nimium ferox.
Pietate cernis pallida pictos, Pater?
Tiber. Invicte Cæſar, umbra te vincit levis?
Quæ nos monebas, ſomnia irridens, cape
Documenta prudens. Corda mulcebit quies.
Maur. Refricando vulnus aſperas. Somnum petam?
Colubros Meduſæ nuper oſtendit quies.
Vera trepidabas, Nate. Pectus innocens
Horror paterni nuntius fati impulit.
Tiber. „ Plerumque vana ſomniorum imagine
„ Deludimur. Sic nos docueras: audeo
Repetere tua verba, Pater. At quæ Tartaro
Elapſa potuit umbra Cæſareo in ſinu
Ciere fluctus?
Maur. Tota furiarum cohors
Erupit.
(*Philippus clandeſtinè excipit Mauritii verba.*)
Omni pejor & furia metum
Incuſſit execrabilis doli Artifex
Philippus. Hæc eſt gratia: Hæc illi refers,
Qui Solio, inique, te ferè impoſuit ſuo?
(*Philippus e latere Scenæ*)
Phil. Sydera! Philippus proditor!
Tib. Animum, pater,
Fræ-

Frænare conor vinculis, tecum ambiens
Metuere; at omne pertinax dubium abnuit.
Conſt. Dolos Philippus nectat? Inſons, ſtrenuus?
Exemplar almæ fidei?
Maur. At inſontis notis
Nomen cruentis Erebus exhibuit mihi.
Carceris in antro, nate, claudatur reus.
Tib. Puerile ne contemne conſilium, Pater:
Aulæ quietem indulgeas: Cuſtos tuæ
Vigil ipſe vitæ, lucis ut primum jubar
Ex Thetide roſeum emerget, includi ſpecu
Jubebo; nox & media quadrijugis equis
Cum quatiet axem, tecta furtivo pede
Luſtrabo vigilum, cautè ut excubias agant,
Velut excubat tibi omnis aſtrorum chorus.

SCENA SEXTA.

Negat Philippus a ſe quicquam agitatum animo contra Mauritium, & proditionem deteſtatur.

Philippus.

Phil. Aures quis anguis ſibilo pejor ſonus
Nunc ſauciavit? Suſcitat me dum fides,
Et ad querelas Cæſaris pennis feror,
Audio: Philippus proditor! Cocytio
Quæ lingua ſulphure tincta ferale hoc nefas
In me potuit evomere? Mauritio gener
Infidus ipſe fuerim? Ab incenſo prius
In me ſagittæ depluant Cælo, imprecor:
Tellus merentem abſorbeat, & horrens mare.
Quæ ſubeo velox antra, queis tenebris tegor,
Cælum, diemque exoſus? At quod eluet

Flumen, quis undis pontus immenſis notam,
Rubore quæ ſuffundet æterno genas,
Deiiciet oculos ſemper? Abſolvat licet
Cordis tribunal, cordium & judex Deus,
Quia potuiſſe videor, admiſi ſcelus.
„ Imago & ipſa criminis grande eſt probrum.

SCENA SEPTIMA.

Phocam a bellicis tentoriis in ſylva prodeuntem adorat Nicander: exitium ille Mauritio minatur.

Nicander, Phocas, Alvantes, Milites.

Nic. Fulgor Jovis, Mavortis & fulgur quatit
Horrore grato lumina! Ad veſtigia,
Auguſte Phocas, accidit pronus tua,
Et nuntia hilaris fauſta Nicander refert.
Phoc. Noſtri ſuperbis tramitem aperiunt rotis
„ Triumphi avara pectora Tyranni. Audeat
„ Si noſtra quis conſilia culpare impudens,
„ Quòd fronte, quæ id dedecorat, Auguſtum jubar
„ Diadematis decutiam, erit grande huic nefas
„ Regnum omne, nempe quodlibet mortalibus
„ Sceptrum tribuit audacia. Æquales prius
„ Natura peperit: inde qui ingenio valens
„ Dolos tetendit, quive forti dextera
„ Tractanda ſceptra rapuit, Auguſtus fuit,
„ Mundique Rector nobilis. Quamquam occidens
„ Dicat Tyrannum fortè libertas, juvat
„ Audire delirantem. Adorabit brevi,
„ Quem carpit in præſentia, & virtus erit,
„ Qui nunc furor videtur. Iratus chalybs,
Magnanima pubes, ardeat. Nemeſis, tuas
Haud

Haud centum ad aras immolo tauros: opes
Haud nemoris Aſſyrii, Sabeæ aut arboris
Incendo honores: Grata Mauritius cadet
Hoſtia furenti Numini.

Nic. Cæſar, nova
Dare jura mundo, ſecula antiquum ænea
Revocare in aurum, premere naturam jugo,
Tuum eſt.

Pho. Imago viva noſtri pectoris!
(*Nicandri manum amplectitur, qui Phocæ ſceptrum oſculatur.*)
Attonitus orbis videat, ut noſtræ fabri
Noverimus eſſe Sortis.

Nic.,, Hic unus dolor
,, Mea corda torquet, clara quòd diſcrimina,
,, Heroum arena, haud obſtruant nobis iter.
Fatum adeo, & alma Sors, ut Imperium cadens,
Auguſte, repares, dexteram invitant tuam,
Floream ut aperiant ſemitam. At ſi quis moram
Opponere audet, Urbibus diras faces
Injicio, Regniſque, nec ab alto incendio
Emergere ambio, Numen ut regnet meum.

Pho. Nigram paludem, & ſtagna Semideis quoque
Metuenda teſtor Regibus, Phocæ dabis
Quæ ſceptra, tu torquebis. Heroum phalanx,
Si fulgur audet quiſpiam, e veſtro emicat
Quod ore, coram cernere: ut ripas furor
Exæſtuantis fluminis, quod alunt nives
Solutæ, Aprilis dum puer frontem erigit,
Subvertit, arva inundat, & ſegetes rapit:
Sic cruor inebriet arva Bizantj; ultio
Tyranni avari ut pateat, immenſus fluat.

Alv. Edenda ſtrages, altior dum ſol nitet,
Poterit in undas rapere trepidantes equos.

Mil. Phocæ ſupremum in regna Libitinæ datum
Sceptrum patebit.

Alv. Fronte Mavortem ænea

Aggre-

Aggrederer, ipſum Numinum contra Patrem
Fulmina retorquerem, in meum quæ Cæſarem
Ab axe ruerent.

Mil. Sanguinem ſitit chalybs:
Mille hauriet præcordia.

Pho. Invitat manus
Laurea metenda ſylva, palmarum & nemus.
Ut orba Lybica bellua horribili fremit
Deſerta in antro: talis ululatu gemet
Mauritius, urnas prolis extinctæ ambiens.
Audire videor. Dulcis o gemitus! Senex
Haud Samius adeo exultat ob Cæli melos.

ACTUS

Digitized by Google

ACTVS TERTIVS

SCENA PRIMA.

Prætorianos milites ad virtutem hortantur Cæſaris filii.

Tiberius, Conſtantinus, Oranus, Milites.

Tib. „ Semper timores corda regnantum enecant.
„ Et regna cupimus! Turpe mancipium metus
„ Solet eſſe Princeps. Quælibet ſceptro minax
„ Umbra, ut Gigas, timetur.
Conſt. „ At forſan dies
„ Diſſolvet umbras. Sæpe ceu Phœbus fugat
„ Acies Gigantum, quos per aereas plagas
„ Ciere bella vidimus.
Tib. Fortis cohors,
Quam timuit Arctos, terga Norvegi darent
Dum pallidi, axem liquit Arcturus, vadis
Et plauſtra tandem merſit: Ægæum mare
Ceu turbines perhorruit veſtras rates:
Tremuere Cyclades; pacis at nunc in ſinu
Partâ ſuperbi gloriâ, Auguſtum Jovem
Velut aſtra cuſtoditis, ex ipſis fidem,
Quæ ſemper Orbi ſydera excubias agunt,
Haurite: vobis creditur mundi parens.
Ora. Fides quod alma ſuadet, & verax amor,
Præſtabimus.
Mil. Quæ Cæſari expediunt, mea
Mihi fata blandiuntur: obſcuram haud juvat
Protrahere vitam.
Tib. Denſa regales fores

Coro-

Corona cingat militum , & ſepem æneam
Opponat, Axem donec illuſtret dies.

SCENA SECUNDA.

Ut inhiantem Imperio Philippum accuſat Hyrcanus.

Hyrcanus, Tiberius, Conſtantinus.

(*Clam loquitur* .)

Hyrc. Hyrcane, arenam nunc ſubi, armate omnibus
Artibus: Averno prodeant, quæ militant
Portenta Phocæ.
(*Alloquitur Tiberium* .)
Magna mihi pennas dedit
Pedibus, & animo cauſa. Mauritius latus
Credit Megæræ, perfidum Prætorio
Tribuens Ducem.

Tib. Ora comprime. Exemplar fuit
„Fidei Philippus ſemper. Haùd quiſquam ruit
„Virtutis alto ex æthere in ſcelerum ſtygem,
„Ni media prius in ſpatia labatur ſoli.
„In ſole tenebras qui videt, caligine
„Inficitur oculus. Fronte proloqueris dolos.

Conſ. „Ceu Phœbus, alma veritas fulgur ſuæ
„Sipario ab atro nubium lucis vibrat.
(*Aperto Sipario Mauritius prodit* .)

SCE-

SCENA TERTIA.

Exhibito Philippi ſimulato Chirographo, ab eo in perniciem Cæſaris conſpirari perſuadet Mauritio Hyrcanus, qui Prætorii Præfectus eligitur. Ne in Philippum ſententiam mortis ferat, vix Patrem Filii compeſcunt.

Mauritius, Hyrcanus, Tiberius, Conſtantinus.

Maur. „ Nullus adeo mortalium ſæpe interit
„ Triſtitiæ edaci vulnere, ut Mundi Arbiter,
„ Quem colit ineptum vulgus, & Numen putat
„ Expers timoris, penè & exemptum neci.
„ Heu ſceptra inania! heu vorax cura, & mei
„ Regalis Erebus cordis!
Hyrc. Infauſta haud velim
Afferre, Cæſar. Lingua quæ fari abnuit,
Charta eloquatur.
(*Exhibet Mauritio fictum conjuratorum indicem*)
Sanguine hanc pinxit ſuo
Sitiens cruorem haurire Cæſareum cohors:
„ Dux eſt Philippus. Sacra quid Regni ſitis
„ Non audet?
Maur. Umbras Tartari teſtes habes,
Notaſque diri nominis. Quando cadit
Ab axe fulmen, nubibus ſi nunc iners
Includitur? Securis infidum caput
Decutiat ultrix.
Tib. „ Genitor Auguſte, intuor,
„ Ab orbe iniqua lance librari ducum
„ Vel æqua facta. Si brevis porrò furor

„ Eſt

„ Eſt ira, partus hic ab inſano impetu
„ Ictus feretur.

Maur. „ Ira non ſemper ferox
„ Repugnat æquitati; at egregiæ flagrans
„ Virtutis eſt miniſtra; Natura hinc ſagax
„ Incendit igne hoc nobili humanas fibras.

Tib. Nil, Pater, obeſt mora. Tibi habenas injice,
„ Cælumque metue, atque invidæ famæ tubas,
„ Cujus tribunal horridum Reges tremunt.

Conſt. „ Miſeros tuetur populus, Auguſtos ferit,
„ Gaudens præeſſe voce, queis dextrâ ſubeſt.

Tib. „ In capita Regum quando jurati doli
„ Citò opprimuntur, vulgus haud nexos quoque
„ Credit fuiſſe. Fama jam pennas quatit,
Teque innocentis interemptorem vocat.

Conſt. Sons fuerit; at cur cauſa non agitur rei;
Nec ad tribunal ſiſtitur?

Tib. „ Jactum ſemel
„ Poſt verbum, abhorrent Principes cognoſcere,
„ An æquitati conſonam ſententiam
„ Cortina linguæ Delphica tulerit ſuæ,
„ Erraſſe ne illos pudeat.

Maur. Eloquio fluis
Nimium diſerto, nate, defenſor rei,
Quem terra, & orcus damnat. Inſidum audiat
Tamen Senatus, debitam & pœnam irroget.
Prætorium qui milites noſtrum tegunt,
Tibi pareant, Hyrcane, majora & fidem
Prœmia ſequentur.

Hyrc. Mille ſint linguæ licet,
Et corda, grates muneri haud referent pares.

(*Abit cum Hyrcano Mauritius, & Siparium clauditur.*)

SCE-

SCENA QUARTA.

Fluctuant animo Tiberius, & Conſtantinus, ob auditas accuſationes Philippi, & politicis rationibus eas expendunt.

Tiberius, Conſtantinus.

Tib. Portenta video: luminibus & vix fides
Adhibetur ipſis.
Conſt. „ Mentis in noſtræ foro
„ Ipſa ſceleris præſtantia tuetur reum.
Tib. „ Mendacium, ſi creſcat immensùm, perit,
„ Latere namque haud poterit; at viſum interit,
„ Baſiliſcus ut lethalis.
Conſt. At certè decet
„ Metuere. Gravia haud crimina videntur, quibus
„ Sunt Regna pretium.
Tib. At ſpem, niſi inſanus, nequit
Fovere corde,
Conſt. „ Militum, & populi favor
„ Spem facere potuit, extimus laudum color
„ Quos allicit; licet animo interdum latens
„ Spumet venenum: cærula ut Cæli nota,
„ Aurumque pingit tergora Draconis.
Tib. „ Placet
„ Ni vulgo, inane nomen eſt ſceptrum Ducum.
„ Sub axe major nulla, quàm populi eſt levis,
„ Potentia, niſi ſciſſus in partes eat.
Conſt. „ Adamante quæ catena, vel ferro rigens
„ Frænare populum poterit? Hunc Briareum alligant
„ Haud ulla vincla, mille qui verè rotat
„ Gladios, & haſtas mille, terreni & Jovis
„ Infringere valet quælibet ſceptra, induat

„ Niſi

„ Niſi ſponte ſeſe in vincla lethalis Gigas.
Tib. At non adorant caſtra Mauritium? favet
Haud Cæſari aura plebis?
Conſt. „ Imperium diu
„ Si trahitur, unus eſſe perpetuò nequit
„ Ardor animorum in Principem. Civilibus
Urbs agitur undis. Cæſarem in Cælum ferunt
Plerique: nomen Praſina queis dedit cohors,
Ad Tartara urgent, vinculis quia milites
Haud ſolvit Abarum.
Tib. Debita aſt imbellibus
„ Fuit illa compes. Secula doceri decet
„ Ventura, nunquam inertià ſalutem emi.
„ Ærarii per vulnera hoſtes inſtruat
„ Inſanus armis Cæſar? Eſt potentius
„ Aurum ære; ferrum namque, ceu magnes, trahit
„ In fœdus.
Conſt. Aſt infida vox populi arguit
„ Mauritium avari criminis. Lynci putat
„ Se vulgus acie ſupparem, & talpas refert
„ Luminibus.
Tib. „ Horret, quæ videt, Populus mala,
„ Majora nec veretur, oppreſſus quibus
„ Foret, minora ſi fugeret. Eſt ardua
„ Ars nulla, Mundi ut flectere quæ habenas docet:
„ Hujus magiſtrum quilibet ſeſe tamen
„ Eſſe arbitratur.
Conſt. „ Suavia in animum influunt
„ Hæc verba: *fieri aliter decebat*. Cæſarem
„ Peccaſſe quando credit, in cordis ſui
„ Sibi theatro plaudit, & Regum imminet
„ Populus inanis vertici.

SCE-

SCENA QUINTA.

Leonem ad fictum certamen coram Hyrcano ſubeundum Aletes invitat.

Aletes, Leo.

Alet. Hyrcanus prope
Prætorium dum vigilat, ad arenam, Leo,
Te tuus Aletes provocat.
Leo Prodeſt amor
Nullus, ut Aletis odium. Anhelantem putet
Noſtrum cruorem, credat ut tibi omnia
Arcana vecors: irrue in noſtrum latus.
Alet. Petantur arma: properat huc vafer Sinon.

SCENA SEXTA.

Prætoriani plaudunt Hyrcano, qui eos immani largitione ſibi conciliat.

Hyrcanus, Oranus, Milites.

Hyrc. Semeleia emite dona: tumuletur dolor,
Quæ depluunt vite, lacrymis ridentibus.
(*Dat aurum Militibus*)
Ora. Jubeas: in hoſtes Tigridem imitabor, ruit
Quæ prope fluenta Gangis imbelle in pecus.
Mil. Noſtrum furorem æquabit haud Boreas: maris
Haud vincet ira.
Ora, Phlegra quam peperit, cohors

C Pete-

Petetur armis, ſi jubes. Mortalium

Hyrc. Ambroſia ematur auro.

(*Aliam vim auri prodigit*)

In excelſo æthere

Ora. Aurora nunquam mæſta tibi ſurgat: dolens
Nunquam Heſperus marina tibi ſubeat freta.

Hyrc. Statio petatur cuilibet; nullum quies
Ignava ſolvat.

(*Recedunt Milites*)

Plurimi Phocæ flagrant:
Alii flagrabunt, ratio dum vino innatet.
Nocturne, Cinthia, ætheris ocule, integas
Argenteæ frontis decora. Nimium avida
Grande intueris facinus. Atratum explicent
Umbræ quietæ pallium, & amicum dolis.

SCENA SEPTIMA.

Vulnus infligi ſibi ab Alete ſimulat Leo, poſt cujus abitum Hyrcanus Aleti, quem Cæſareæ domus hoſtem arbitratur, brevi adfore Phocam nuntiat, & ſuas tuendi Prætorii vices tradit.

Leo, Aletes, Hyrcanus.

Leo Aggrederis enſe Principem?

(*Pugnant, & jurgantur intra Proſcenium*)

Haud errat manus.

Alet. Tuum cruorem ſitit. Avernalis cade
Furia.

Leo Superbiam inclyto e fato petis.

(*Exeunt pugnantes*)

Ale. Stygium iter urge, bellua.

Leo

Leo „ Inſani reor
„ Probra eſſe laudes.
Alet. Dona dementis cape.
Leo Dignetur an te Cæſaris frater nece?
Guttur ſuperbum turpis elidet manus.
(*Simulans ab Alete ſe vulneratum recedit Leo*)
Alet. Fratri querelas defer, ut matri puer,
Ignavus animus ante per apertum latus
Niſi evolet ad umbras.
Hyrc. Aletes, Cæſaris
Sic proteris Germanum?
Alet. Erinnyos reor
Germanum, & ipſe pejor Eumenidum choro eſt.
Caligo Mundi denſa ſopiti, fugæ
Blandire noſtræ: abſcedo, ne Hyrcanas tigres
Regnare videam.
Hyrc. In Cæſarem hic ardet probè.
(*Clam loquitur*)
Arcana poſſum credere furenti.
(*Alloquitur Aletem*)
Manus,
Et corda, Aletes, junge. Ne carpas fugam.
Diris ruina fratribus merita imminet.
Exercitus Cæſarea ſceptra detulit
Phocæ prope Iſtrum, incenſus, hybernas nives
Quòd ferre cogeretur. Umbræ proximi
Nemoris phalanges, grande & arcanum tegunt.
Vis magna populi fervet. Auroram prope
Arma inferentur.
Ale. Hilaris Hyrcanum ſequor.
Phœbæa lampas teſtis illuſtris quidem
Præclaro adeſſet operi; at ad certum exitum
Id rapere præſtat. Nobilem explebo ſitim
Hauſto Leonis ſanguine!
Hyrc. Aliò tendimus.
Prætorii cohortibus gerens meas
Vices, Aletes, impera. Phocæ ſtudet

Flos militum: quid noctis illuſtris ſinus
Pariet, latet pleroſque; ſed animos mihi
Ad juſſa quævis conſecrarunt: Munerum
Tu largus acrius excita.

(*Tradit Hyrcanus Aletì crumenam auro refertam, & diſcedìt*)

Alet. Nullum tibi
Dent aſtra reditum, perfide inſtructor doli.
Funeſta nox intende tenebrarum peplum
Supra execrandum crimen. Orbis deferat
Imperia Phocæ? Vilior in auras ſolo
Proles an ulla venit, an crudelior?
Damna Philippum, Mauriti. Prætorio
Ille excubaſſet, nunc fores furiæ tenent
„ Jam concitatæ ad arma. Quæ hominum obnubilat
„ Caligo mentes! Damna molitur ſibi,
„ Suam ſalutem aſſerere qui certò putat.

ACTUS QUARTUS

SCENA PRIMA.

De oppreſſæ innocentiæ fœlicitate Philippus diſſerit, ac fauſta omnia Mauritio precatur.

(*Philippus cum manicis ferreis orcheſtram perambulat*)

Phil. „ Infida ſors, ut deprimas, falsò erigis!
„ Spe corda paſco. Suevit innocentia
„ Citò explicare lumina, & frontis decus.
At lateat uſque, ætatis & florem meæ
Abripiat aſper turbo, nil noſtra intereſt.
Infamia magis terret; aſt ipſam immolo
Vitam decori nominis ad aram Crucis.
„ Nec blandientis ſibilum famæ audiunt,
„ Quos clara ſolvunt fata. Rideat licet
„ Fœlicitatis ſemper humanæ jubar,
„ Haud faſcinari lumina, atque animum decet.
„ Splendore quanto carceris hic horror nitet!
„ Hìc animus illuſtratur, hìc auro flagrat
„ Catena, Solis luce Divini illita.
At ridet æther dum mihi, pro Cæſare
Nubes timoris pectus obſedit meum.
Molitur alius fata, quæ a nobis timet
„ Mauritius. Alme Rector, & Mundi Pater,
„ Quem palpitanti latere vel Reges tremunt,
„ Velut Aquilone impulſa folia in vertice
„ Sublimis Idæ, ſæpe qui inter nubila
„ Flagrare viſus fulgure, intorques tamen
„ Raro triſulca tela mortale in caput:

„ Et innocentes fulminis pennas agis
„ Montes in altos, aut nemora, dextram, precor,
„ Cohibe; vel igneus axe ſi turbo cadet,
„ In me omnis unum fulminum nimbus ruat.

SCENA SECUNDA.

Videndam Philippo exhibet ſe Juſtitia, quæ pœnas a Mauritio expoſcit ob milites non redemptos ab Abarum Duce; ſed eidem immortalem veniam ſpondet Pax Divina.

Juſtitia, Pax, Philippus.

(Ex adverſis Proſcenii partibus, vel nubibus, loquuntur, Juſtitia, & Pax.)

Juſt. Pietas, & Amor procul abſcedant.
„ Non tantùm Pater in Cælo imperat:
„ Sceptrum juſtus Rex agitat grave.
Rigor, & Furor, & Ultio criminum
Huc feralem ſiſtite Mortem:
Pietas, & Amor procul abſcedant:
Non tantùm Pater in Cælo imperat:
Sceptrum juſtus Rex agitat grave.
Pax Exulet æthere furor, & livor.
Aſtræa, tuæ ſydera frontis
Non inficiat horrida nubes.
Forti pectore ferat ærumnas,
Veritus Numinis ultoris manum,
Et regna petens meliora ſuis
Victor ſubeat Mauritius polum.
Juſt. Semper victrix linquis arenam,
Charitum lepor, & deliciæ, Pax.

Sit

Sit breve fulgur Numinis ira:
Æterna oleæ rideat umbra
Propter flumina nectaris almi,
Quod rigat urbis ſydereæ vias.
Pax Quia non fregit vincula militum,
Scenica Regni decora ludicri
Linquat, & ævi luſtra volantis:
Et perpetuum in axe triumphum
Ducat. Ut illum ſydera adornent,
Meliore, viden? lumine rident.
Juſt. Pax. Nos interea amanti ex pugna
Utraque victrix aſtra petamus.
Phil. Palmam Rigor ne referat. A Cælo inclytæ
Divæ volarint, pharmacum ut cordi darent,
Non umbræ inanes luſerint oculos. Juvat
Projicere vitam, & ſceptra, ſi æternum parant
Diadema Cæſari aſtra.

SCENA TERTIA.

Exultanti Mauritio ob traditum carceri Philippum timoris cauſam ſupereſſe Tiberius affirmat.

Mauritius, Tiberius.

Maur. Perierunt nigra
Portenta demum, diraque umbrarum cohors,
Cum reus in atri carceris tenebris jacet.
Tib. „ Si contumax repentè morbus interit,
„ Doloſa non rarò eſſe conſuevit ſalus.
Vereor, ut adſit cauſa lætitiæ, pater.
„ Cor quatitur uſque. Sortis adverſæ impetum
„ Ut frangat, arma, & grande præſidium dabit
„ Paratus animus.

SCENA QUARTA.

Extinctum, dum in Perſiam proficiſceretur, Theodoſium natu maximum Mauritii filium Conſtantinus nunciat Patri.

Conſtantinus, Mauritius, Tiberius.

Conſt. Nuntia heu quæ Cæſari,
Heu quæ parenti defero! Eheu quæ mihi
Tulit Chorebus, qui Theodoſii comes
Perſas adibat!
Maur. Citius eloquere; at prius
Quod me omen, heu, funeſtat!
Conſt. Haud falſi mali.
Theodoſius, me perditum! Auguſti Patris
Futurus hæres, nemoris in ſaltu horridi
Prope Heraclæam.
Maur. Interiit ergo? O præſcius
Dolor æſtuantis pectoris! furiæ heu truces,
Umbræ meorum militum!
Tib. Heu dulcis peris
Germane? Tecum heu gloria Imperii cadit!
Exemplar o virtutis illuſtre! O vigor,
Noſtrique cordis aura!
Conſt. Bizantj o potens
Columna, ſtantem invidia quam ſortis ruit.
Tib. Aurora vitæ o clara, ſed nimium citò
Demerſa in umbras.
Maur. Mortis at diræ genus,
Quod te Chorebus docuit, effare, & meum
Transfige verbis pectus.
Conſt. In nemore invio
Iter inſtitutum urgebat, illuſtris jubar

Lunæ

Lunæ ſequutus: clamor extemplo intonat:
Innumera in unum turba latronum coit.
Ceu fulmen, ille invehitur in gregem hoſtium,
Centumq; perimit. Sanguine heu madens humus
Veſtigia dubia fallit. At veluti furor,
Et capita pullulant hydræ, poſtquam cruor
Infecit ora: talis uſque ad nobilem
Finem arſit heros. Cultor hæc ſylvæ Senex,
Cui ſyderum Colonia videtur nemus,
Dixit Chorebo. Stratus hic jacuit diu
Ob vulnus atrox: languidum & tandem latus
Ut extulit, cadaver egregii Ducis
Vidit coruſcans gladium, at impoſitâ pio
Cordi ſiniſtrâ, & aſtra luminibus adhuc
Quærens recluſis, criminum veniam Deum
Efflagitabat: rupis in latebris ſenex
Tribuit ſepulchrum.

Maur. „ Nate, tua virtus, dolor,
„ Damnumque patris, aſperat pœnam, meæ
„ Dum cladis auget pretium. Inanis detraho
Conſtantiæ velamen. In lachrymas fluat
Solutus animus. Vita ſupplicium mihi
Sit, & dolor ſolatium. Haud tantùm omnium
Cruciatuum in me acerba conſpiret cohors;
Deliciæ at ipſæ, atque inferat riſus necem.
„ In fel cibus abeat omnis: in colubro velut
„ Alimenta virus omnia evadunt. Miſer
Aure, aut palato, aut quicquid excipiam oculis,
Videatur anguis ſibilus, virus, coma
Meduſæ: id adeo noſter inficiat dolor.

SCE-

SCENA QUINTA.

De Hyrcani dolis, & imminenti Phocæ adventu Mauritium admonent Leo, & Aletes: eique authores ſunt, ut in Perſidem fugiat indutus militaribus exuviis Aletis, qui ſtudioſus Phocæ creditur ob pugnam initam cum Leone.

Mauritius, Aletes, Leo, Tiberius, Conſtantinus.

Maur. Germane, mecum lachrymis pandas iter:
Theodoſium deflemus.
Leo Obdura interim
Exulceratum pectus, ac differ parum
Pietatis æſtum. Majus infortunium
Differre cogit lachrymas. Bizantium
Rebellat omne. Milites Iſtrum prope
Hyemare juſſi ſigna fregerunt tua,
Et ſceptra Phocæ deferunt.
Maur. Regum Arbiter,
Ex me ultionem criminis juſtam exigis.
„ Phocas flagellum torquet ultoris Dei.
Patent cruenti nominis triſtes notæ.
Et vulneravit noſtra ſuſpicio integram
Famam Philippi? Carceris diri fores
„ Frangantur. Ecqua eſt indoles novi ducis?
Leo „ Crudelis, atque timida.
Maur. „ Flagrans ſanguinis
„ Ergo pariter erit.
Alet. Cæſar, exuviis meis
Auguſta tegere membra digneris: fugæ
Hæc una ſpes. Hyrcanus obſedit vias,

Juratus enſe haurire Mauritii fibras.
Ex me ſuis at artibus victus Sinon
Me juſſit excubare ad Auguſtas fores.
Hæc ambiunt velare Cæſarei inclytum
Spolia nitorem corporis: natos tegent
Alia, & Leonem, vulnera infligi ſibi
Qui finxit hac ex dextera, quæ illum prope
Adorat.

Leo. Ingenium Amor, atque æther tibi
Suggerit, Aletes. Prompta conſilia expedi.

Alet. Furtiva vela pandite, antequam polum
Aurora ſubeat, Perſidem verſus.

Maur. Scelus
Si pœna noſtrum plectit, ultoris Dei
Cur juſta fugiam tela?

Tib. Supplicium fuga
Eſt ipſa, genitor: Pectore hanc forti excipe.

Maur. Eſt noſtro at impar merito.

Tib. Id oſtendet Deus,
Ni faveat. Interim tibi haud deſis, tuis
Natis, & Orbi, præda qui fieri trucis
Renuit Tyranni, ſpes niſi ſaltem jugi
Superſit excutiendi.

Conſt. Amica littora
Pete, Cæſar. Haud inſida ſors animum hebetet,
Pietas at orbi debita.

Ale. „ Haud vilis fuga
„ Cenſetur, aſt auguſta, quæ reparet ſacrum
„ Imperium, ea eſt Legatio.

Maur. Salutem horreo,
Quæ te pericli linquit hæredem mei.

Ale. Aut non metuo diſcrimina, aut eadem ambio.
Aut vulgus inter militum tecum rates
Subeo, aut in urbe latito, & clam Proceres tuo
Incendo ſtudio.

Maur. Perſidem mecum pete:
Spes nulla vivit.

Alet.

Alet. Plurimi tibi flagrant.
„ Ut luce caſſæ, abſentis ita creſcit favor
„ Virtutis.
Maur., Odium potius infortunia
„ Pariunt, reum quæ Principem, infauſtum ſuis
„ Aut exhibent.
Conſt. „ Maligna potius vulnera
„ Fortunæ in illos, ante quos fovit ſinu,
„ Plerumque amorem ſuſcitant.
Tib. „ Hoſti magis
„ Quod diſplicet, conſilium id optimum reor.
Conſt. Nil adeo abhorret, ut tuam Phocas fugam.
Maur. Vobis fugit Mauritius: haud quicquam ſibi,
Infauſta meritus omnia, infauſtum timet.
Iter ſecundent aſtra.

SCENA SEXTA.

Ad Cæſareum Prætorium obſidendum, & præcludendam Mauritio fugam, milites hortatur Nicander.

Nicander, Alvantes, Milites.

Nic. Claudantur viæ:
Detur Tyranno nullus ad fugam exitus.
Alias coronent milites alii fores
Prætorii regalis; at nos hic moram
Protrahere præſtat.
Alv. Ære non ſi triplici,
Adamante paries aut rigeat, ullum dabit
Præſidium avaro Principi.
Nic. Ad portum volat
Cæſarea Phocæ navis: impellit manu
Sors blanda: cunctos carcere Æolio ciet

Ven-

Ventos faventes: audet haud ullus vada
„ Miſcere turbo civicus. Populi furor
„ Superbus æſtuantis erigitur citò,
„ Ullam aut moram ſi traxerit, torpet diu.

Alv. Vaſti renidet unda Bizantj: at, velut
Cærulea pelagi monſtra, ſi Alecto e mari
Nunc ſurgat, atque armata avernali tubâ
Fluctus laceſſat, grata tempeſtas feret
Nos gloriæ perennis ad celſum æthera.

Nic. Populi obſequentis penè damnatur quies;
„ Charior inermi pace magnanimo eſt viro
„ Victoria.

Alv. Ergo gladius illuſtrem diem
Jejunus expectabit? Hoc certè in mari
Scopulus Gradivi mille ſperabam rates
Infringere.

Mil. Ipſe, ut ſpumeum monſtrum, aggredi
Cornu carinas.

Alv. Nimbus ipſe atrox, flagrans
Obruere pelagum ſanguine.

Mil. In cineres agens
Ego fulmen inter æquora incenſas rates.

Nic. At ecce Pontum Phœbus illuſtrat novus.

SCENA SEPTIMA.

Phocas triumphans urbem ingreditur, ac ſuæ fortunæ plaudit. Mauritius fugam ore mentito capeſſit.

Phocas, Nicander, Alvantes, Milites.

Phoc. Regia Orientis, æmulæ cælo domus,
Turreſque Cæſarum, excutite frontis ſacræ
Squalorem: avita gloria en iterum viret.

Bizan-

Bizantium ingens pedibus advolvi meis
Tandem intuor: nec vilis hoc hæres avis
Aſcribo munus; dexteræ hoc noſtræ inclyta
Virtus: fides hoc, veſter & peperit amor.

Nic. „ Te fluit in unum gloria, in varios abit
„ Quæ ſparſa ramos arborum, radicibus
„ Auratum ab imis ferre quæ vellus ſolent.
„ Nec ante cunas blanda ſors riſit tibi,
„ Regalibus ut infantibus: at omnes ſupra
Virtutis alis evolantem præbuit
Aſtræa nobis, jura qui mundo dares.

Pho. Invicta pubes, cui ſolum palmas meti
Hoſtile vidit, auream Mavors tibi
Servat coronam, noſter ac tribuet amor,
Potentior fortaſſe.

Alc. Nec fortis minus.
Io triumphe: ſceptra terrarum quate.

Mil. Io triumphe: ſceptra terrarum quate.

Pho. Iter obſtruatur omne fugitivo; pedes
Monſtrum ante noſtros proruat. In illo furor,
Et avarus ardor pereat, Eumenides duæ,
Vitam Tyranni in corde quæ dudum trahunt,
Ut vivat orbis. Æqua mihi fata imperant,
Pœnam a ſuperbo ut exigam. Videbitur
Olli cometes oris hoc noſtri jubar,
Spargat per axem qui coruſcantes comas,
Et regna mutet.

(*Mauritius ſub Aletis exuviis, cum filiis, & fratre, ſub veſte gregariorum Militum, abit e Regia*)

At quis e Prætorio
Curſu citato prodit, & veſtigia
Haud noſtra adorat?

Nic.

Nic. Militum lectam manum
Duci ex Alete cerno, quo nullus flagrat
Mauritii atrocior hoſtis. Illi dum fugam
Præpedit, in aulam irrumpo, & in latebris feræ
Iniicio vincla. Cæſar, interea vias,
Forumque luſtres, luce dum roſea beat
Aurora terras. Ætheri Bizantium
Dicet: Quieſcat Phœbus, & currum obruat,
Sol quando nobis pulchrior deſert diem.

ACTUS QUINTUS

SCENA PRIMA.

Philippus, quem vinculis eximi Mauritius juſſerat, eundem ad maris littus quærit.

Philippus.

Phil. Carcere ſolutus Cæſaris ſortem mei
In me laceſſo. Vela furtiva, arbitror,
Hinc ſolvit auris: milites terram obſident.
Infida niſi nunc agmina mihi hærent duci,
Illuſtrior noſtro lateri adhæret cohors,
Amor, Fides, Conſtantia: Hæc vires dabit
Contra phalanges hoſtium. At quæ ſauciat
Oculos imago? Aſtræa Mauritio minax
Rurſus in arenam prodit, atque enſem rotat!

SCENA SECUNDA.

Juſtitia Divina, ut tempeſtatem conciteut, ventis imperat.

Juſtitia Divina.

Juſt. Venti terribiles, qui mare concitant,
Fluctus horriſonos flatibus erigant:
Iras, & furias Africus evomat.

Lucta-

Luctatus Boreas fratribus incubet
Ponto: Aſtræa jubet. Carcere ab Æoli
Erumpant animæ, quæ tumulant rates.
Haud terræ placidus dividat oſcula
Neptunus: tumido proruat æthere
Nimbus naviſragus, diraque fulmina.
Nautæ, quos tonitru ad prælia provocant
Ultores Superi, luctibus innatent:
Mergant & lachrymis æquora fervidis.

SCENA TERTIA.

Mauritius ad littus a tempeſtate rejectus Philippum offendit, a quo ſuſpicionis de illo ſuæ veniam petit.

Nautæ intra Scenam, Mauritius, Philippus, Tiberius, Conſtantinus.

Nauta I. Pugnantium agitat ira ventorum ratem.
Naut. II. Minitatur aſtris prælia ſuperbi maris
Unda intumeſcens.
Naut. I. Puppis in Stygem ruit.
Naut. II. Infigor, eheu, ſyrtibus.
Phil. Clamor ferit
Turbæ quis aures naufragæ? Bizantium
Quæ miſcet, illos alia tempeſtas manet,
Fortaſſe major.
(*Appellit naufragus ad littus cum filiis, & fratre Mauritius ſub Aletis veſte*)
Fide, Mauritium tuum
Liquiſti, Aletes, inter infauſtæ ultima
Pericla ſortis?
Maur. Ille non liquit: ſtudet
Mauritio Aletes nimium: adornarat fugam

Cæſaris Aletes; juſtus aſt æther vetat.
Simulas Philippe? Te ne Mauritius latet?
Crudelitate partus an noſtra color
Me pinxit anguis, ora nec Aletis refert?
Phil. Nube involuti Solis haud vidi jubar.
Quæ noſtri imago criminis pœnam intulit,
Auguſte, cordi regio, pariter meum
Transfixit.
Maur. Ipſe criminis veniam peto,
Quo vulneravi inſontis illuſtrem fidem.
(*Procumbit in genu Mauritius*)
Phil. Quæ cerno monſtra? Auguſtus ad ſolum ruit?
Maur. Olim fuimus.
Phil. Æternùm eris Cæſar mihi.
Aſſurge.
(*Erigit Mauritium Philippus*)
Premit ad Tartara immenſus rubor
Mea corda.
Tib. Navi fræna namque alii mare
Laxare prohibet efferum, in Sylva, Pater,
Expedit aſylum quærere. In pelagum dies
Cum concidet, ſolvemus iterum carbaſa
Furtiva.
Maur. „ Si urget Numen, incaſſum fugis.
(*Clauditur Siparium, & recedit Mare.*)

SCE-

SCENA QUARTA.

Nicander in ſylva quæri Mauritium jubet. Ipſe interim interrogat Puerum, quem natu minimum Mauritii Filium putat; ſed ab illo audit verum Cęſaris Filium ab Alete occultari.

Nicander, Puer creditus Mauritii Filius.

Nic. Dum corda pueri exploro, vos latebras feræ
Detegite: meritum fortè quæſivit nemus.
Quæ ſomnia obgannis, Puer? Speras necem
Vitare, ſobolem ſi te avari perneges
Mauritii? In aula mille te noſcent brevi.
Puer. Regalis ora infantis exhibeam licet,
Qui ſtirpis ultimus ſacræ palmes fuit,
A ſorte quantùm regia diſtat meus
Obſcurus ortus!
Nic. Ergo Mauritii refers
Ore ſobolem?
Puer. Sæpe genitrix, puertiam
Formare prolis ſueta Cæſareæ, ſimul
Dum ludimus, ait: Caſtori ut ſimilis erat
Frater, eadem ſic ora, ſic fertis manus,
Oculoſque, pueri: illuſtria hinc forſan petens
Exempla, me pro Cæſaris nato neci
Devovit.
Nic. „ Haud, inſane, pro alienis ſuos
„ Ad fata matres deſtinant natos piæ:
„ Ad regna ſi petantur at forſan dabunt.
Puer. Ad ſceptra, dixit, poſceris, fili, ut necis
Excuteret horrorem,

Nic. At ubi Mauritii abdidit
Sobolem?
Puer. Petenti nuper hanc plorans dedit
Genitrix Aleti.
Nic. Propter auguſtas fores.
Vidimus Aletem: nuntius dein detulit
Solviſſe portu, Aurora dum luſtrat polum.
Puer. Aureus in axe fulſerat Phœbus, puer
Dum ſervo Aletis traditus.

SCENA QUINTA.

Mentitus Aletem Mauritius cum filiis deprebenditur. Comparat ſe ad mortem conſtantiſſimè ſubeundam. Sui notas filii pater indicat, ne alius ſui gratiâ interimatur.

Tiberius, Nicander, Mauritius, Conſtantinus, Leo, Philippus, Milites.

Tib. Aliò fugam
Flectamus: inſtat militum hinc denſus globus.
Nic. At ecce Aletem. In ædibus condis tuis
Natos Tyranni?
(*Ex uno Scenæ latere ad aliud Mauritius cum filiis, & fratre fertur gradu furtivo.*)
Maur. Haud Cæſaris prolem domi
Clam habeo.
Nic. Procul cur verba ſuſpenſo gradu,
Fugamque adornans fundit, & fictæ ſonum
Vocis imitatur? Ille nec Aletem refert
Oculis, nec ore, ac penè Mauritium exhibet.
Qui-

Quicumque ſis, conſiſte. Phocas imperat.
Maur. Ex me ultionem criminis juſtam exigit
Regum Arbiter. Nicander, en quondam tuus
Cæſar, tua at nunc vincla Mauritius ſubit.
(Obſidentur a Militibus viæ)
Regalis adeo gloriæ diſpendia
Contemno, memori penè ut ex animo excidat.
Proles parente digna meliore, eſt necis
Qui cauſa veſtræ, flagitat veniam Pater.
Tib. Nullum mihi æther majus indulſit decus,
Quàm te parentem, Sortis adverſæ licet
Telis petitum. Noſtra ne fata urgeas,
Genitor, querelis, jure ſed noſtrum tua
Cor ſauciant.
Conſt. Redimere ſi detur Patrem,
Perire nato millies libeat pio.
Tib. Haud alia mentem cura ſolicitam quatit.
„ Jactura gloriæ eſt levis, cum eadem animum
„ Excruciet acquiſita; nam unius cibus
„ Cupiditatis alteri eſt pejor fames.
Conſt. „ Deluſa ſpes laborat hìc fruſtra, & nocet
„ Fortaſſe non deludi: adepta ſcilicet
„ Fortunæ inanis aura cor cælo eripit.
Tib. „ Fortuna verſat lubrica incaſſum vices.
„ Mihi nectar undat. Alitur & virtus malis,
„ Oneratque Sortem, cujus adverſæ minas
„ Irridet. Aſtris regna mutare abnuam?
Conſt. „ Invictus aliis vincat ut ſibi parem,
„ Se vincat ipſum Cæſar, & Sorti imperet.
Maur. Procul dolorem verba ſapientis fugant
Sobolis. Parenti, filii, exemplum inclytum,
Nunc imperatis: orbis & habenas manus
Si veſtra flecteret, adeo haud mihi Cæſares
Eſſetis.
Tib. „ Ille Auguſtus eſt, qui temperat
„ Inſanientum motuum plebem ſui
„ In cordis aula.

Maur. Namque magnanimi Deo
„ Inſontis ævi florem, & Imperii levem
„ Spem conſecratis, eſſe vos certè reor
„ Fœliciores, Neſtoris quàm ſi dies
„ Vos, & triumphi plurimi obruerent.
Nic. Fluit
Quid ſuave corda in effera. Aures, Mauriti,
Præbe faventes: natus hic etiam tuus?
(*Innuit puerum Nutricis filium*)
Nec ore eum, aut dignaris amplexu, Pater?
Maur. Si grande ſobolis crimen eſt genitor meæ,
Mortique damnat, ullus & fontis nequit
Supereſſe vitis palmes, en ferrum duo
Hic præſtolantur; cecidit aſt alius petens
Nabathæa regna nuper: unus eſt ſuper,
Ubicumque lateat. Ejus hic adeo puer
Vultum exhibet, ut amica ſæpe quæſtio
Dum gliſcit, oculus ſæpe cogatur Patris
Sententiam proferre: non hic eſt meus.
Eburna pueri colla non tingit Roſa,
Prolis meæ quæ pingit inſontes nives.
Nic. Heroe dignus animus! Hic mortem puer
Videtur intuliſſe Mauritio, fugam
Namque illius prohibuit acta quæſtio
Negantis eſſe Rege ſe natum patre.
At ille noſtro gladio ut eripiat neci
Non deſtinatum, ſponte non cælat ſuum.
Captivus ipſe pariter es Phocæ, Leo.
Leo „ Sortis malignæ vulnera perenne afferunt
„ Lenimen animo; Filios nam quæ decet,
„ Pœna irrogatur cælitus nobis brevis.
„ Amica ſæpe verbera infligit Pater,
„ Diadema nato & ſervat: in flammas abit
„ Dein verber. In nos quiſquis ultoris Dei
„ Seſe flagellum nuncupat, timeat ſuam
„ Brevi ruinam.
Phil. Cæſaris fatum mei

Non

Non ſubeo? Vincla ambita ne mihi invide,
Nicander.

Nic. Haud te damnat Auguſtus neci
Phocas:

Phil. Perenne funus erepto traham
Mauritio?

Conſt. Id unum poſco moriturus, Patri
Præire letho:

Nic. Haud arduum munus petis.

(Alloquitur Philippum Mauritius)

Maur. Compeſce fletum: Videor optatum, Gener,
Petere triumphum. In Axe poſt aliquot moror
Te luſtra. Noſtram alloquere nunc natam, ſuis
Ut ſemper aſtra quæ ferit votis, ſacros
Nunc cardines aperiat actutum patri.

Phil. Spirantia Deum verba; perpetuò ſolent
Quæ illius ore fluere, nuntians brevi
Te repetam.

SCENA SEXTA.

Diſcedunt alii.

Philippus conqueritur, quod ſuperſtes eſſe Mauritio compellatur, ejuſque conſtantiam commendat.

Philippus.

Phil. „ Atrox dum parcis haud Phocas minus,
„ Quàm dum, cruente, inſontibus mortem irrogas,
„ Mezentii tu victor, haud corpus ſupra,
„ Aſt animum, acerbos trahere quem cogis dies,
„ Aliena ponis funera; perennem ut necem

„ Producat. At queis gloriæ invectus rotis
Petit aſtra Cæſar, corda cui gelido haud metu
Propinqua mors concuſſit, at potius novo
Incendit æſtu? Domuit haud tantùm inclyta
Virtus, amoris penitus humani at faces
„ Extinxit. Animo fata qui tali ſubit,
„ Hunc interire Fama non unquam ſinit.

SCENA SEPTIMA.

Phocas Mauritio interemptos filios oſtendit, ipſumque morti damnat.

Phocas, Mauritius.

Pho. Periiſſe tandem debet inviſa impii
„ Proles Tyranni. Germina & lactentia,
„ Si virulenta fuerit his radix, humo
„ Vellantur.
(*Mauritium catenis onuſtum alloquitur*)
Axis fulmina irati tuo,
Inſane, ab animo, Mauriti, exciderant. Velut
Numen ſuperbum ſanguine humano ſibi
Voluit litari avarus, & vecors furor,
Exhauriendas barbaræ linquens ſiti
Venas ſuorum militum. Cælum jubet,
Ignita tela ut torqueam in fontis caput.
Maur. „ Æquam a ſceleſtis exigit pœnam Deus:
Pho. „ Me dicet Orbis efferum? In paucos ruit
„ Quæ pœna ſontes, plurimis parcit, reos
„ Dum terror omnes afflat. Illuſtri decet
Paſcere theatro lumina, atque animum Patris.

(*Ape-*

(*Aperitur Siparium, & ſuper atratum pegma comparent capita Tiberii, Conſtantini, & Leonis, vivis coloribus expreſſa.*)

Corda ut triumphant, dum ſuper celſum vides
Extare natos pegma, Cæſareum velut
Solium occuparint?

Maur. Sancte Regnantum Arbiter,
Juſtam a ſceleſto criminis pœnam exigis.

Pho. „ Tunc pœna gravior, quando cor mœrens ſtupet,
„ Nec ſentit atrox vulnus.

Maur. „ Haud miſerum reor,
„ Sentire vulnus, temnere dolorem, altior
„ Dum cauſa morbos mutat animi in pharmacum.

Pho. Inſanientis Æacum Sapientiæ
Arcana doceas. Corpus exanime dapes
Vulturibus hìc exhibeat.

Maur. Admiſſum ſcelus
Indulgeat mihi Axis, ut fauſta omnia
„ Tibi opto. Sed, ſi ſæpe fatidica ſolet
„ Vis provocare verba ſubeuntis necem,
Non perfrueris ſcelere fœlici diu.
Poſt luſtra duo te pariter alliſum ſolo,
Et innatantem ſanguini intueor tuo.

Pho. Cerberea vatis lingua vellatur: parens
Orator alta roſtra natorum ſubi.

SCENA OCTAVA.

Ad mortem, quæ religioſum, & magnanimum Principem deceat, Mauritius animum inſtruit.

Mauritius, Nicander.

Maur „ Mortalium ſolamen, in Sortem improbam
„ Qui dum efferantur, crimina abſolvunt ſua,

„Inane

„ Inane nobis eſſe profiteor: Nihil
„ Fortuna peccat: Crimen haud æquant meum,
Numeroſa quæ videntur, & latu horrida:
Impetia, vitam; filios, una eripit
Dies: mihi ſuperſtes ac vitam trahet
Si nomen; illud funus æternum manet.
„ Inſultat infœlicibus vulgus leve:
Famæque nobis debita ultricis flagra,
Quia vincla non infregimus; quæ militi
„ Injecta fuerant. Fabulæ extremam damus
„ Scenam probroſam: petere, ut Auguſtus, nequit
„ Mauritius Orbis plauſum. At humanæ nihil
„ Refert theatrum famæ, in ætherea licet
„ Dum regia perennis Imperii ſacrum
„ Torquere ſceptrum, juſta ſi ultoris Dei
„ Tela oſculamur. Animus has curas fovens
Lapideſcit ad ſupplicia. Lachrymarum fluat
E lapide fons, & crimina actutum eluat.
Decreta adoro, temperas mortalium
Queis fata, Numen: Pœna, quam Pater irrogas,
Blanditur animo filii. O fulmen pium!

Nic. Brevi redibit Cæſar, exuvias tuas,
Non te, intueri cupidus.

Maur. En adſum. Æthera
Petamus. Alme ſyderum, ac terræ Arbiter,
Juſtam a ſceleſto criminis pœnam exigis.

(*Clauditur Siparium.*)

SCE-

SCENA NONA.

Aletes ſe, veluti reum Cæſareæ mortis, incuſat.

Aletes.

Alet. Quod corda figit nuntium? Captus ſuo
Pro Alete Cæſar? O meam infidam fidem!
Solertiam o veſanam! Ego mortem infero
Mauritio. Ab ictu ſobolem ut eripiam, patrem
Subdo ſecuri. Noſtra Nicander flagrans
Conſilia rimari, latentem Cæſarem
Detexit. Iterum liber alioqui nemus
Subiiſſet Auguſtus: nec infœlix meæ
Vocis imitatio recluſiſſet doli
Inſontis artes: nocte defenſus ratem
Solviſſet iterum e littore. Alieno fuit
Nocentior odio Aletis infœlix amor.

SCENA DECIMA.

Extincto Mauritio parentant, ejuſque dotes enumerant.

Philippus, Aletes.

(*Aperitur Siparium, & ſub pegmate filiorum jacens Mauritius videtur.*

Phil. Mauritius hic eſt? Cæſar hic ingens?
Lux ubi vultus inclyta nobilis?
Alet. Prima Parenti, an Soboli debita

Mœ-

Mœſtis manant oculis flumina?
Phil. Quod cæleſti robur in animo
Arſit contra ſpicula fortis!
Alet. „ Stantes potuit illa columnas
„ Frangere, ſed non flectere valuit.
Phil. „ Ardua fortes Heroes decent;
„ Quàm ſe vincere nil magis arduum eſt.
Hac Mauritium laude quis æquat?
Alet. Si ſervili e compede milites
Non exempti dedecus inferunt,
„ Ulla haud exhibet hominum virtus
„ Solem expertem vel levis umbræ.
Phil. Aſt aliorum decorum radii
Clarum terris tribuere diem.
Alet. Omnia vives ſecula, Mauriti,
Magnorum inter nomina Cæſarum,
Æqua, & forti qui norunt manu
Mundi ſacras flectere habenas.
Phil. Árx virtutum cadis excelſa!
Alet. Cardo ruis, quo nititur orbis!
Phil. Tuâ & involvis cuncta ruinâ!
Alet. Et erubeſcit Phocæ in immerita ſacrum
Diadema fronte? Hoc unde portentum improba
Eduxit, inſultaret ut mortalibus,
Fortuna?
Phil. Non ferocius monſtrum horridis
Caucaſus in antris vidit.
Alet. „ Hoc mundo caput
„ Debetur, alia membra cui dederunt hydri,
„ Dum pulſa virtus ceſſit, & regnat furor.
Phil. Nunc menti, Aletes, omina occurrunt, pio
Tributa Cæſari, ille cum æthereos choros
Oravit, antra qui Paleſtinæ colunt,
Ut a Tonante crimini celerem ſuo
Pœnam impetrarent, fera ne ſontis caput
Graviore lapſu obrueret. Æternam parant,
Dixere, Cæſari aſtra, poſt luctum brevem,
Læti-

Lætitiam. At orbem heu perditum ſub Tigride,
Quæ ſceptra rapiet.
Alet. En ſub humano latens
Velo triumphum ducit immanis fera.

SCENA ULTIMA.

Inſultat Mauritio Phocas, & ob partum crimine Regnum gaudio ſuperbus inſanit.

Phocas, Hyrcanus, Nicander, Milites.

Phoc. „ Dulce eſt, ſuperbo terere proſtratum pede,
„ Quem vertici imminere vidiſti tuo.
Ad aſtra pennis deferor. Nectar Jovis
Ut hauriam, cruenta me ducit via,
Si lactis alios ſemita heroas juvat.
Fulmina coruſco. Suggere huc Aquila impigra.
Refigam ab axe ſydera. Orion dabit
Tremefactus enſem: Aſtræa quin etiam ſuum
Sufficiet. Axem linquet, & repetet ſolum.
Hyrc. Sic alma virtus Orbis imperium occupat.
Nic. Io, triumphe: ſceptra terrarum quate.

ARTA-

ARTABASDUS

TRAGOEDIA.

ARGUMENTUM.

REgnante Conſtantino Copronimo Leonis Iſaurici Filio, qui Plebejus adeptus fuerat Imperium, fretus favore plebis, idque crudelis, & Hæreticus perditiſſimè exercebat, Artabaſdus nobiliſſimus Princeps, ut Patriam a ſervitute Hæretici Cæſaris liberaret, quatuor hominum millia conflaverat, cum Conſtantinus Artabaſdum, ſuum conſilium diſſimulantem, ad convivium invitavit, eundem de Republica conſulturus. Artabaſdus, cui nondum explicare decretum de bello agitando impar ſuorum numerus permittebat, Conſtantinopolim perrexit, & a Copronimo perhumaniter exceptus, at vinculis traditus eſt, deinde libertati redonatus, & honoribus auctus; terruerant enim Cæſarem portenta viſa per ſomnium, ac populi Artabaſdum amantis furor. Interim Nicephorus Artabaſdi filius, comperto carcere Patris, cum expedita militum manu ad Urbem volavit, eundem jam ſolutum liberaturus, & a Conſtantino, qui viginti hominum millia ſub ſignis habebat, facilè ſuperatus eſt. Artabaſdus verò ad ſuos regreſſus exercitus reliquias collegit, ut filio ſuppetias ferret, cujus amor irritus ſua conſilia perdiderat. At in itinere certior factus de illius cæde, cum ſui milites vix centum congredi cum tot millibus non poſſent, eiſdem imperavit, ut clypeos mutarent, & armorum genere Conſtantini Milites imitarentur, quibus immiſti eundem de medio tollerent, & ulti Nicephorum patriæ Libertati, & Religioni viam aperirent. Jamque

que omnibus adornatis fœderati milites , qui ad Artabaſdi caſtra properabant , in hos inciderunt , & veros Conſtantini aſſeclas rati in eoſdem velitari cæperunt . Gliſcente amicorum prælio Cæſar innumeros Milites copiis Artabaſdi circumdedit , illumque ſtrenuiſſimè dimicantem tandem interemit . Horum pleraque ex Cedreni , ac Theophanis hiſtoria ſunt petita , nonnulla verò Anacroniſmus , & Fabula addiderunt , vel leviter immutarunt . Scena exhibetur in Pomœrio Conſtantinopolis , quæ Copronimo regnante jacuit ingloria , virorum frequentiâ , & omni decore deſtituta .

PERSONÆ.

Artabaſdus Nobiliſſimus Princeps,& Exercitus Imperator.

Aliſius
Adraſtus
Dacius) Imperii Principes .

Conſtantinus Copronimus Imperator .

Leo ejus Filius .

Roſmanus Equitum Ductor .

Phorbus Magiſter Equitum .

Rufus
Arſaces) Proceres.

Nicephorus
Nicetas) Artabaſdi Filii .

Clearcus
Sergeſtus) Duces cum Artabaſdo fœderati .

Martius
Pilades) Artabaſdi Milites .

Totrogus
Arcas) Scurræ .

Nuntii quinque .

Ephœbi duo.

Viben Nicetæ Sodalis .

ACTUS

ARTABASDUS

TRAGOEDIA.

ACTVS PRIMVS

SCENA PRIMA.

Conqueſti de ruente Imperio Principes initam in Tyrannum conſpirationem promovere ſtatuunt.

Artabaſdus, Aliſius, Adraſtus, Dacius.

Artab. Patriæ cadentis tecta, Cæſarei lares,
Mundi arbitrum Bizantium, tandem tuas
Reviſo turres; Qualis aſt oculos ferit
Inviſa facies! Patria ſibi tumulum ſtruit,
Et media in Urbe latitat! Excidium levat,
Superba quòd theatra dum incumbunt ſibi,
Nobile ſepulchrum Regiæ lapſæ erigunt.
Hæc illa domina gentium? huc fluxit decor
Orientis? huic tributa ſolverunt Scythæ?
Quid Regna memoro? vile ludibrium intuor

Sortis protervæ, cui Pera inſultat ferox,
Vincenſque Seſtos Regiam. O patriæ domus
Malæ reliquiæ triſte cur premitis ſolum,
Trophæum edacis temporis? Riſum cies
Stans Patria Abydi: melius optatam trahes
Tandem ruinam. Veteris at levia imperj
Monumenta perſtent: per triumphalem viam
Luxuriet herba, tecta laqueata occulant
Frontem ſub herbis pavida, Fortunæ ut levis
Sperare diſcat dona mortalis tumens,
Mortem execratus, Regna quæ ferro metit.
Magnanime Princeps, veteris egregium decus
Generis, Aliſi, fata quid patrii ſoli
Metiris oculis tacitus? an ne etiam placet
Urbis ruentis vultus, & ſenium horridum?
Al. Spes una Procerum, noſtra quo perſtat ſalus
Superſtite, & qui patriæ lapſæ ultimam
Fulcis ruinam, noſtra quo fruitur fides
Duce, ſive pacem, ſive tu bellum ſitis,
Cui Cæſaris me ſævus obſtrinxit furor,
Idcirco gratus: pace mihi liceat tua,
Patria, profari, vincla complector libens,
Parco Tyranno, cujus ex odio fluit
Noſter amor, o ſtans columen extremum Imperj.
Leviora querimur: culmina exciderint, licet:
Servile me Copronimi adorati jugum
Urit, & edaci peſte paulatim necat.
Novus ergo Spartacus erit Imperii arbiter,
Majora cujus ſpatia vel ſol invidus
Suſpexit olim, ſibique ad ignotos lares
Porrecta? Proavi, Adraſte, de tumulis caput,
Dacique, tollant, & ſuperbifica manu
Torquere Patriæ ſceptra plebejum Ducem
Spectent inulti: & plebis Imperio frui
Lætos Dynaſtas; namque libertas venit,
Mancipia poſtquam patriæ regnum occupant?
Hæc fama gliſcit: noſque fœmineum in modum
Tra-

Trahimus querelis tempus?

Adr. Audite ultimi
Fugientis Orbis incolæ, arridet quibus
Cultus ferarum, magna nobilitas nocet:
Eſt crimen ingens fonte ab auguſto cruor
In nos volutus. Purpura excipiat ſinu
Puerum trementem, eſt reus, & addictus jugo,
Nobilia ſi ornant ſerta naſcentis caput.
Fruſtra inſita in nos fluxit ad Regnum indoles,
Si exoſculamur ſceptra mancipii leves.

Dac. „ At num, querelas præter, eſt reliquum nihil
„ Vitam execratis? Grata nobilibus venit
„ Mors, quæ catenas frangat. Hebetarit licet
Regale Procerum robur ætatis furor,
Aut ſervitutis horror antiquum ſolum
Vertere coegerit: Cremera, Italiæ decus,
Spectare Fabios nequeat, unius domus
Exercitum, fato triumphali obrutos;
„ Tamen perire certus innumeros premet,
„ Avara quos ad prælium invitat ſitis.
Alacrior & ebullit in venis cruor
Nobilium, avitum ad arma quos urget decus.
Porrigere fines cupida ſi ad bellum ruit
Virtus Avorum, lapſum ut Imperium erigam,
Non provocabo ad arma fortunam levem?

Adr. Generoſe juvenis, bella geſſerunt Patres:
„ Nunc, pauperum armis, cenſeo utendum artibus.

Artab. Dacii vigorem laudo, at amplector tuam,
Adraſte, mentem. Quatuor ad bellum licet
Millia virorum ruere detrectent nihil,
Eſt numerus impar, quamlibet quiſque hoſtibus
Decem reſiſtat. Omnis ad populi ducem
Ruit caterva pauperum, quos allicit
Sperata palma, nilque ſolicitus metus
Rerum ſuarum, vita namque una eſt ſuper.
Ergo latentes pectore foventes faces
Urbem petamus: Pacis in vultu color,

Riſuſque regnet: interim cœcis notis
Mentis aperire arcana nobilibus juvat,
Socioſque cœptis legere: mox aderit redux
A fœderatis nuntius, quanto meas
Augere milite copias poſſint, ferens.
Sive arma placeant, creſcet armorum vigor,
Seu fraus, ſubibunt mœnia jam apertis dolis.
Noſtros tuetur milites Natus, feras
Per nemora ſpargens, erudit & alias feras
Jugulare: partim ruſtico induti ſago
Subigunt aratro terram, & hic habitus decet
Florem juventæ nobilis, quando gerunt
Imperia ſervi: ſceptra mancipium quatit,
Pro patria ornat ligo triumphales manus,
Conſilia cælans noſtra. Sed quid Aliſius
Animo volutat, cujus haud impar meo
Veneror avitum lumen, atque animi decus?
Al. Tua ſigna miles proſequor: id ætas petit,
Id pacis artes, bellica id virtus tua,
Id conſilj vis, pronus atque in nos favor.

SCENA SECUNDA.

De ſui generis Novitate gloriatur Conſtantinus, & admonitus de magna Nobilium copia in vicino nemore latentium ad ſuum convivium eorum Duces invitari jubet.

Conſtantinus Copronimus Imperator. Leo ejus filius, Phorbus Magiſter Equitum. Puer Ephœbus.

Conſt. „ Virtute partum quiſquis imperium regit,
„ Unicus amicis fruitur hic Regni bonis,
„ Cui prima fortis ira mutati ciet

„ Ma-

„ Majora fati gaudia: hic proavis nihil,
„ Fortuna, tibi nil debet; at in unum fluit
„ Gloria per omnes ſparſa ramos arborum,
„ Quæ ſtirpe ab ima regium vellus ferunt.
Nectarea ſed adhuc pocula immiſtum inficit
Virus timoris: omnis in Regem novum
Collimat ictus, preſſa nobilitas fremit.
Sed noſtra, faxo, ſceptra adorabit libens,
Quicumque gladii fulmen irati haud cupit.
Tua vincla ſolvi, Patria, dum impoſui jugum
Unus Tyrannis mille, & Aſtræam in forum
Revocavi. At ego quocumque te ſceptro premam,
Obſtringeris mihi, Patria. Hæſiſſet vadis,
Vel præda Nerei Navis hauſiſſet fretum:
Clavum tenemus, proſpero & curſu volat.

Leo. Gratum ſaporem tibi laborabunt, Parens,
Quas fero, dapes, nam condit has noſter labor.
Si quando belli grave rudimentum fuit
Venatus, hodie grande fulmineus aper
Ad arma robur addidit: tandem fero
Terram momordit ore, & Erymanthi nefas
Cecidiſſe viſum. Profuit veri, Pater,
Imago Martis, quippe naſcetur brevi
Ad vera rapiens arma Mavortis furor.
Prædantur aliæ belluæ cœcum nemus,
Ruituræ in Urbem, ut noſtra populentur bona,
Ceu nuper, illas quando pepuliſti, Pater.
Innumera ſylvas nobilium oberrat cohors,
Monumenta propter: (nomen hoc triſte eſt loco.)
Patris Artabaſdi ſceptra Nicephorus quatit.
Licet Elephantos India in noſtrum nemus
Vomuiſſet omnes, nimia venantum agmina
Nemus occuparent: alia conſilia, reor,
Meditantur. Et cur nobili agricola frequens
Campus ſuperbit? alteri quiſquis rapit
Vertenda ſpatia, mutuò inſultat ligo.
Noſtrum cruorem bibere latrones petunt.

Ephæb. Liceat profari, publice o Mundi Pater.
Secreta ſylvæ penetro, fugientis premens
Veſtigia Capreæ, comes cum olim meus
Nicephori aſſecla: noſter hic, inquit, Puer,
Commilito hære, ſigna melioris Ducis
Sequute: peſtis ultima Copronimo imminet.
Pennas ego fugientis æquavi Noti:
Quo vulnerata eſt auris, aperio nefas.

Conſt. Monumenta propter errat, augurium ſuæ
Captura fortis, tumida nobilium cohors?
Regnata patribus arva monumentis premet,
Quicunque noſtrum cupidus imperium petit.
Inſita ferarum namque, mi Leo, tegunt
Primi Dynaſtæ corda, confoſſæ cadent
Avidæ cruoris belluæ, & riſum efferum
Populi ciebunt, plebis & parient jocum:
Ceu ſæva quondam arena delicias dedit.
„ Fraus occupanda eſt, ipſe ne in laqueos cadas.
Reducem Artabaſdum, Phorbe, convivam meum
Jubeas adeſſe: nuper ad patrios lares
Revocatus, Urbis mœnia ſubivit, reor.

Phorb. Nuper maligno ſauciarunt lumina
Ejus ſodales ore, ferientes humum
Oculo feroci, & grande minitati nefas,
„ Conſilia mentis tacita ſi prodit color.
Socios, Ducemque allicio, ut ambroſio bibant
Mortem natantem poculo. Cautus Patrum
Nobilium acerba ad fata graſſaris dolis.
„ Civilis horror martis excidium parit
„ Regni, juventâ quod etiam fruitur novâ.
„ Laus eſt Tyranni prima, ſi cunctos premit
„ Movere inauſos arma: ni Martem fugit,
„ Vincere coactum prælio victum arbitror.

SCE-

SCENA TERTIA.

De adornatis Tyranno inſidiis Proceres colloquuntur, deque ſubſidio ab alio Principe ſibi afferendo certiores fiunt.

Rufus, Arſaces, Nuntius.

Ruf. Seſe paratis induet laqueis fera,
Mundique Erynnis concidet: frontem erigant,
Quos, pondus ingens, magna nobilitas, premit.
„ Vitare nexus mille nec Ulyſſes poteſt:
Mille implicantur ejus in cladem doli.
Quòd ſi Megæra fraudis aperiat notas,
Suumque Alumnum protegat: in illum truces
Vel tunc volabunt Scævolæ, quando faces
Ventilat, & iram plebis Orator movet.
Urbem Artabaſdus, ſanguinis noſtri decus,
Bellique Princeps hilarat: ac veluti avium
Exultat agmen, roſeus ex undis caput
Cum ſol aperiens promit optatum diem,
Illo triumphat reduce nobilium cohors.
Arſ. Tibi ſacra noſtrum victima gladium imbuet,
Oppreſſa Patria: nullus infenſum ſibi
Scelus Tyranni ulciſcitur: frontem jugo,
Dividere Suetus Regna, ſubmiſit Pater,
Imperia Cæſar quando non torſit furens.
Vilem oſculari dexteram non horruit,
Qui genus, avoſque jactat, & cui præbuit
Olim Copronimus ipſe ſervilem manum.
Pacem malignam patribus amplexi ſumus,
Bellum peroſi noxium populo: etenim
„ Quæcunque Regni inverſio ruinam parit,
„ Si prima Regni ſcena tolerari poteſt.

Patriæ ſalutem ſpreta libertas tulit,
Vitâque potior ſponte depoſitus honor.
Nunc arma conſecrabit illius cruor,
Quique latus hauriet impium, erit ultor pius.
Ut Davus Orbi jura diſpenſet vafer!
Rodiaque Chio temperans, aut Cretico,
Fas omne vertat: mente dimotus mero
Oracla certa pandat, & vino innatans
Cruore noſtro ludat!

Ruf. Inſanas videt
Qualis Cithæron Mœnades ad altum jugum
Ferre titubantem, fraxino innixas, gradum,
Prærupta vidi ſaxa ſubeuntem Ducem,
Retroque greſſum flectere, & ruere in latus:
Patriæque patrem populus interea fremens
Dixit Copronimum: o nefas! ſcurræ aſſeclæ
Parem coronant Principem. His terra arbitris
Attonita paret, noſque adorantes manum
Ferientis, huic ſcurrile ludibrium ſumus?
Fuimus. At ictum, Patria reſpirans, meum

(Educit enſem.)

Meditare: avita nequeo ſi regna, at patriæ
Mentem redono cuilibet ſceptro parem,
Dum Patriæ inſanum aufero Regis caput.

Nunt. Rufe, imperantis dextera virilis Ducis,
Et procul agentis obire conſuetus vices,
Huc fœderato a Principe impulſus volo,
Et grata nuntio: Mille ſub ſignis agunt,
Tuoque vires militi adjicient novas.

Ruf. Gratus ab amico Principe huc actus venis.
An galea canos tegit, an auratam comam
Militis adaucti?

Nunt. Robur eſt Martis, tamen
Si robur ætas alere feralis poteſt,
Quam ſervitutis turpis ambitio tenet.

Ruf. Egregie Juvenis, indolem præfers patrum,
Odiumque Regni. Maximum belli Ducem

Grati

Grati alloquamur, cujus auſpiciis tuus
Movet arma Princeps Juvenis, ætatis decus,
Magiſque bello exercitam dextram colens.

SCENA QUARTA.

Suam primò Conſtantinus in gratiam receptos fingit Principes, quos deinde præcipit in Carcerem detrudi.

Conſtantinus Imperator, Artabasdus, Aliſius, Adraſtus, Dacius, convivantes. Arcas Scurra ſtans cum Aulicis.

Conſt. Sanguine Dynaſtæ ſplendidi, ut fœdus placet
Plebis, Patrumque! Ut amoris hæ teſtes dapes
Mihi blandiuntur! Gratior nulli accidit,
Quàm Patribus, Regiminis hæc ſeries, reor.
Vobis quietas ducere indulget dies
Cæſarea cura: machina hæc ingens meis
Incumbit humeris, pondus Imperii grave.
Curis ſoluti vos per umbroſum nemus
Agitatis apros, ruſticum & ſceptro gregem
Premitis minori, civium turbis procul.
Hæc Regna tenuit priſca ſimplicitas patrum,
Gratum Tonanti, nilque ſolicitum genus.
O ter beatos! Credite, hæc nimium gravat
Corona frontem. Patriæ me amor impulit
Subire Regnum. Dextra cur parcit dapes
Carpere paratas, oraque exhorrent merum?
Cur torva rapitis lumina huc illuc truces?
Artab. „ Eſt dulce pondus Principi ſceptrum grave,
„ Gaudiaque provehit imperj creſcens onus.

Tuam

Tuam ideo fortem gratulor, Mundi Arbiter.
At nos moleſtus fregit itineris labor,
Bacchique ſatiem peperit, & largæ dapis.

Arc. Princeps, Dynaſta, Cæſar, & Rex, & Pater,
Servator Orbis penduli: quodvis lege
Nomen ſuperbum. Ergone convivas tuos
Adhibere ſtatuas pergis? hi torpent viri,
Saccarea qualis Pyramis menſam gravat.
Si dextra fortis petitur, ac fortes genæ,
Solus ego ſpondeo partibus fungi omnium:
Regna populabor Cereris, & Bacchi domum.

Acr. Quis hic volutus imber in cyathos venit,
Dapeſque tumulat? Efferos odi jocos;
Decent Tyrannum hæc ludicra: Ælius an redit?

Hic devolvuntur in menſam flores de ſuperiori loco, & convivæ moleſtiæ ſigna præſeferunt.

Arc. Vel Flora larvas peperit! o dona irrita,
Malè collocata! Cernis, ut nubes cribrat,
Suoſque alumnos Flora ſubridens jacit?
Jucundus imber! Saccari at præſtat nuces
Jaculari: apertas imber in fauces cadet.

Acr. Scurræ procacis ergo ludibrium ſumus?
Ad hocne, Cæſar, petimur illuſi Patres?
Audis, ut aſtra dedecus noſtrum gravat,
Ut gliſcit imber, fulmina ut crebrò ruunt?

Arc. Conviva, eburna e janua morpheum bibis.
Nectareus imber Ævii ſolùm ruit,
Nec fulmen ingruit; ipſe tot verbis tonas.

Adr. Horrore quatior. Filium hic piſcis meum
Imitatur ore: nuper e labris dapes
Fugere, Bacchus expulit renuens ſitim.
Quid hæc minantur?

Art. Sortis auſpicium malæ,
„ Curaſque triſtes amove. Invitat ſuam
„ Vates ruinam, quando venturam timet.
Quid imber, & quæ nubila inflavit pavor?

Nil

Nil ominantur triſte; vel, ſi quid parant,
In Cæſarem non fulmen, aſt in nos ruat.
Dac. Compeſco fluctus cordis, aſt undas agit
Vortex atrocior: ulla non cauſa eſt metus,
Tamen timemus: triſte mugitu ſolum
Trepidavit atro: menſa cur præceps labat?
Noſque immoramur? Ferte deceptis opem.

(Hic ſurgunt furibundi: Scurra riſu diſſolvitur: Cæſar gaudens in ſinu prodit in medium.)

Conſt. „ Præſagus animo fata complecti ſolet
„ Moriturus, & Propheta non falſus canit,
„ Quæ mox trahentur. Vana prodigia necem
Verè inferendam ſontibus aperiunt reis.
Mentis tribunal impiæ has larvas ciet.
Haud innocentes accidunt gratæ dapes.
Epulis cicutam premere cupienti meis.
Erebi trifauces Cerberi, Harpyæ ſtygis,
Quas viperino ſanguine immiſtus latex
Lactare potuit, morſque in ambroſia latens.
Sed fata ſani ſentiant, lentum bibant
Mortis timorem. Alia imminet cum Cerbero
Voranda cœna. Craſtina haud vobis dies
Solvet tenebras: aſpera hoc noctis via
Peragenda, ſeſe pectus ad callem paret.
Art. Hoc fœdus eſt deſponſum? ad hoc reditum, celer,
Urges, Tyranne? conjugi, natis, mihi
Sic me redonas, barbare? Lyæo madens
Aliena libras fata? Libertas nihil,
Nil rapta Patrum jura frænant impetum
Animi furentis? carpere malignos dies,
Longumque funus trahere nunc etiam negas?
Hoc aſtra puduit cernere inviſum nefas,
Subitoque ſyrmate nubium umbrarunt Polum:
At quæ rotantur fulmina, tibi necem parant.

Acr.

Acr. Moriemur uſti chalybe magnanimum latus?
Nec Patria ſedibus excita huic monſtro, huic hydræ
Sanguine patricio turgidum avellet jecur?
Servile pectus, ita ne moliris dolos,
Agitare bellum milite innumero timens?
Congredere. Noſter unus occurret decem,
Qui te tuentur. Fronte titubanti grave
Diadema fulcis, ſceptra cum probro geris;
Privata noſtri tela ſi Martis fugis,
Ad quæ laceſſo. Parta jam palma eſt tibi,
Pugnare mecum poteris.

Conſt. Haud compos tui
Exercitus partiris; & fatum ingruit.
Ambitio miſeros vexat illuſtris necis,
Noſtraque laceſſunt arma? Plebejo Duci
Non execratur congredi priſcum genus?
Fati medelam dono, dum bellum nego.
At, o ſuperbè miſeri, arenam quæritis,
Hoſtes ut æqua cauſa committat pares;
Non perduelles Regis excutiant jugum?
Mavorte vincam Sarmatas, Perſas, Scythas:
Frangat rebelles tumida carnificis manus.
Vos vincere haud dignamur, o mundi lues.

Dac. Audis Tyrannum, Patria, nec pandis viam
Per aperta terræ viſcera ad regnum ſtygis?
Cur non revulſis tecta cardinibus labant,
Monſtrumque tumulant? Quarta furiarum ſoror
Cur hìc moratur? Repete, Tiſiphone, tuum.
Hoc hoc recepto creſcet umbrarum pavor.
Nunc lenta ceſſant Tartara: hic ſolus poteſt
Ad arma provocare Tænarios Duces,
Et ventilare ſegnis Alectus faces.
Hauriat amicum pectus Infernum chaos.

Adr. „Quando moriturus provida amplecti ſolet,
„ Quæ mox trahentur, mente, tibi fatum imminens
Nuntio, Tyranne, Lynceæ mentis jubar
Jaculatus in rotunda poſt funus meum.

Non

Non fixit adamas proſperæ ſortis rotam;
Præceps ruinam, barbare, ex alto trahes.
Te præſtolantur nemora, te comites feræ,
Quarum cruento lacte creviſti puer.
Ignis tua membra, Cæſar, amburet ſacer.

Conſt. Nunc morere Vates: ſomnia Trifauci canas.
Te proditorem patria, me dicit Patrem.
Compeſce ſontes miles occulto in ſpecu.

(Diſcedit Imperator cum Aulicis. Hærent nobiles, & reſpuunt catenas: ſupervenis Rufus.)

SCENA QUINTA.

Rufus paratum exhibet ſe ad Mortem obeundam cum Artabaſdo, & aliis Principibus, qui furorem, quo prius flagraverant, execrati, & caducarum rerum pertæſi animum erigunt ſpe Immortalis Fœlicitatis.

Artabaſdus, Aliſius, Adraſtus, Dacius, Rufus, Milites.

Artab. Nobis catenas, barbare! abſcede ocyus.
Vos ipſe nutu. Perfida, hoc etiam probas,
Fortuna? turpis nexus exuperat necem.
„ Nil vincla proſunt. Jura fatorum ſubit
„ Generoſus animus: Arma deficiunt manus.
Spondeo, tenemur: haud mihi adhibeas fidem?

Ruf. Hunc te, Artabaſde, voſque magnanimi Duces,

Poſt

Poſt varia reduces fata complector miſer?
Sociare vos dum propero cœnatos domum,
Huc advolavi. Qualis aſt aures ferit
Inviſa fama, voſque pervulgat brevi
Fata ſubituros, juſſa namque urgent Ducis.
Morieris, Artabaſde, ego vitam traham,
Viduatus animi parte præcipua mei?
Non ita: Tyrannum aggredior: Injuſtus necas,
Dico, innocentes: Quando mentiris reos,
Ego quoque ſceleris nobilis partem ambio.
Quæ fata Proceres, memet involvant, precor:
Veſtræ futurus advolo fortis comes.

Artab. Luctatur animus, bellaque indicit ſibi:
Placet amor, haud arridet infœlix amor:
Supereſſe partem cupio moriturus mei.
At miſera quantum me tua obſtringit fides,
Generoſe juvenis, & cor inſultans neci!
Hæc ſcena Proceres agitat, hi caſus rotant
„ Humana: fœlix provocat lapſum ſtatus:
„ Peſtem elaborat hauſtus ambroſiæ dapis.
„ Benè latuiſſem floſculus repens humi:
„ Frontem papaver tollo, feſtinat chalybs.
Et alta quærimus, hominum infœlix genus!
Documenta de me poſteri, & mentem haurient.
„ Mors profutura mortis invidiam levat.
Nil torquet animum. Vana libertas perit,
Carcere ſolutus ſpiritus Cælum petit.
Peritura ferro regna lucrari haud licet,
Ultro ingeruntur ſydera. Ad Cælum volet
Prævius, amici, cordis impatiens amor,
Mox aſſequetur animus.

Al. Iraſcor mihi,
Quòd ultionis ira nutrivit faces.
Maligna, te, Natura, compello ream.
Regnum occupaſti prima renuentem trahens.
Nunc memet exuo, & odia ulterius veto
Spar-

Spargere venenum. Chriſte, regnantum Arbiter,
Parcas Copronimo mitis: in caput hoc ruant,
Quaſcumque ſtatuunt aſtra jaculari, faces.
Patriam tuebar, ille cæleſtes lares
Incogitanti donat: & quando pares
Grates rependam muneri?

Adr. Inviſum canens
Fatum Tyranno, in mentis exilium rapi
Nuper videbar, pictaque in tabula procul
Signa intueri: pando, quas video notas.
At non cruentas urgeo votis manus
Regi graves, aut effera ſpe nutrior.
Aſtræa ſortes temperet, & ultor Deus,
Potius benignus. Quicquid & noxæ fuit,
Noſtro luatur ſanguine. Immiſtus tuo,
Inſons, cruori, Numen, evincet nives.
Nunc innocens fundetur, aſt alia reum
Scelera Tribunal ante Divinum vocant:
Non ſua ſequatur pœna larvatum nefas.

Dac. Nunc, anime, vires profer: hic generis decus,
Hic indoles avita fortunam premat,
Fruſtra malignam. Plauſus excipiat necem:
Ictus retuſa falce nequidquam dabit
Libitina vecors: hilaris horrendas minas
Fati imminentis corde fatidico bibo:
Tibi blandiemur, mortis iratæ manus.
„ Si grandis ambit animus Imperium breve,
„ Æterna cupiat regna nobilior ſitis.

Ruf. „ Eſt dulce amicis, nobili Patriæ pium,
„ Donare ſoles, propera quos adimet dies:
„ Aſt innocenti ſanguine aſperſum Deo
„ Animum reponere, grande, Divinum reor.
„ Solvamus ergo hilares patriæ, amicis, Deo,
„ Quæ dona tempus rapiet, aut morbi furor.
Luctantis animi carcer eſt dudum mihi
Mortale corpus, vitaque habet inſtar necis,

Quæ

Quæ longa miſerum per ſpatia funus trahit.
Vitalis ictus mortis excutiet jugum,
Noſtraſque fortunabit actutum preces.
Artab. Renaſcor: hæc me verba moriturum beant:
,, Sævam triumpho mutat hic animus necem.
Nunc cœca ſponte ad antra properemus gradum:
Carcer ibi clauſo pectori pennas dabit,
Ut aſtra ſuperet: Umbra ſqualentis ſpecus
Pariet perennis lucis optatam diem.
,, Mentem evagantem frænat anguſtus locus;
,, Tunc Cælum in antra ducit æthereus amor.

ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

Metu correptus Cæſar probat Roſmani ſententiam de ſolvendis, & bonorum largitione ſibi conciliandis Principibus.

Conſtantinus Imperator. Leo ejus Filius. Roſmanus Equitum ductor. Phorbus Magiſter Equitum.

Conſt. Frænare mentis impetus urget timor:
Iræque habenas tradere extimulat furor,
Si res liceret fingere arbitrio meo,
Quò turbo cordis pellit, urgerem ratem:
Et jam ſuperba capita ſparſiſſet cinis,
Avulſa trunco: capita, quæ imponi tibi,
Patria, flagrabant; noſtra ſed quando decet
Arbitria temperare, quò valeant magis,
Non unus animi motus imperium petit.
„ Quicunque regnum flectit, aliquando ſuos
„ Mactet furores, victimam alieni boni.
„ Et odia in unum nata ſolicitus necet,
„ Odia laceſſat ipſe ne in ſeſe omnium.
Populare regnum teneo, virtuti datum:
„ Imperia nutant, priſca ſi virtus labat,
„ Quæ regna peperit. Odia credentur mea,
Non ſua Proceribus ſcelera ſupplicium dare.
„ Orbi probandum eſt, quicquid agitamus domi:
„ Mundi theatrum tecta Regnantum arbitror:
„ Hinc jura pendent: Populus huc vultus refert,

„ Noſtroſque mores lance non librat pari:
„ Servire cogor ſingulis. Famam, optimæ
„ Sortis malignum pondus, horreſco; illius
Timeo latratus. Pejus at rodit furor
Jecur ulceroſum, & igne me tacito cremat.
Tibi, Fama bifrons, ſpiritum debent rei,
Nondum perempti. Militum primi Duces,
Queis non tenebras aſper offundit furor,
Quos ratio flectit, canaque exornat fides,
Promite latentis candidas mentis notas.

Phor. Quanvis eâdem pectus hoc flagret face,
„ Quæ te perurit, Ira conſilium nequit
„ Evertere: eſt ſagacis ingenii parens.
Si dubia Procerum crimina, aut alia forent,
Quàm quæ peracta nulla compenſat bene
Pœna irrogata, certus haud animi forem,
Et genus avitum trahere ſuaderet moram.
Nunc fraudulentâ ſemitâ ingreſſi dolis
Sunt opprimendi, ut tela inebrient ſua.
Non prima ſcena nobiles damnat reos:
Orcheſtra plures vidit., & plauſum dedit.
„ Populus Tragœdos Principes hilaris videt.
Præcipuè in hos commune nunc odium flagrat.
At eſto: pugnent jura, non damnet forum,
„ Quos ira damnat Principis: culpam obruet
„ Immenſa virtus perlevem. Antiquum decus,
„ Ponduſque laudum pandit errori viam;
„ Culpam tuetur namque præteritæ fides
„ Virtutis, illi lucem & affundit ſuam.
Tua Regna terror fulcit: hic vultu petat
Forti Dynaſtas, plebem ut imbellem premit.

Roſ. Aperio nondum pectoris cœcas fores;
Sed tua refello dicta. Lugendam dabunt
Scenam cruenta fata primorum Ducum.
Quid odia fingis? Patria captivos amat,
Vocat Artabaſdum Patria delicias ſuas:
Mortemque eorum major excipiet amor.

„ Mi-

„ Miſeros favor tuetur , & pœna occupat
„ Animum tenacem, culpa non rarò effluit.
Sed quando Cæſar imperat, populus probat?
Sic alia ſpondent? Alia nunc etiam improbat,
Quæ prius ad aſtra laudibus miris tulit.
Conſilia necdum ſceleris in aperto flagrant.
Umbræ tuam agitant Prolem, & haud certæ notæ.
Comperta Ephœbus narrat? Ut nectat moras
Forſan ſodali miles effinxit minas,
Suoque mendax peperit ingenio nefas,
Quod immerentes vinculis vexat Duces.
Phor. Elapſa forſan ſtudia non ſontes probant?
Metire procerum moribus fraudis fidem:
In Cæſarem amor an odia non certa enecat?
Regni appetentes arguat quiſquam Patres?
Roſ. „ Quid te, Imperator, deceat, haud illos,vide:
„ Det Fama, non conſilia veſanus furor.
Phor. „ Mactare ſontes Principem fortem decet.
Roſ. „ Certos, novuſque ſceptra niſi Princeps movet.
Phor. „ Qui ſceptra peperit impetus, eadem fovet.
Roſ. „ Rarò ſecundus impetus fœlix fuit.
Phor. Elicere quatuor lacrymas, furias vocas?
Roſ. Luctum odia vincent; Ira, non terror trucem
Scenam ſequetur.
Phor. „ Omnibus gratus nequit
„ Accidere Princeps. Oderint, metuant tamen.
„ Sunt odia Regni non dubia proles novi.
Roſ. Ne grande funus pandat ad majus viam.
„ Prognata ſemper crimina in pejus ruunt.
Pho. Parere diſcent Principes: cardo rei
Vertitur: an hinc rebellio vires trahet
Inulta, Cæſar, regna ſubvertens tua?
„ Si lenta ceſſat pœna, nutritur ſcelus.
Roſ. Diceris odii perfidi, haud juris tenax.
Phor. „ Arcana Regum, ut Numinis, populus probat.
Roſ. „ Populus maligno dente conſilia Ducum,
„ Vel ſancta, carpit.

Phor. ,, Quælibet Regi licent.
Roſ. ,, Quin plura ſervo; Fama nam vexat Duces,
,, Parcitque ſervis. Ira ſi Regem regit,
,, Audit Tyrannus: pœna ſi ſontes premit:
,, Crudelis odia Regis inſontem necant:
,, Sic Fama vulgat: ſerviunt Reges ſuis.
Phor. Ut parricidæ Principis lucem hauriant!
Roſ. ,, Diuturna mors eſt carcer: indulges reis
,, Requiem malorum, ſceleris & pœnam putas?
Phor. Superſtes odii fomes accendet brevi
Novos furores.
Conſt. Media conſilia amputa:
,, Neque carcer iram paſcit, aut odium fugit
,, Populare, nec timoris extinguit faces.
Roſ. Ergo fruantur luce: ſi ferro cadant,
Innumera clades civium inferias aget.
De te triumphum nobilem victo refer,
Generoſe Princeps.
Phor. ,, Pœna te mitem arguet,
,, Favor ferocem: quatuor abſolvis reos:
,, Bonos, Patriam, & hinc exulem Aſtræam opprimis.
Conſt. Si prima temno ſcelera, maledictis necem
Non provocarunt, quaſo, convivæ truces?
Roſ. ,, Sperata nunquam fulmina intorques ferox,
,, Et verba pendis effera? Horreſcit preces
,, Magnanimus: ore furere moriturum negas?
,, Vicina mors evellit ex animi ſtatu.
Conſt. ,, Nunquam peribunt odia; vivaces enim
,, Impreſſa menti vincla ſervabunt faces.
Roſ. ,, Muneribus obrue, vinclaque ex animo effluent.
Conſt. Tibi ſomnia favent noſtra, qui abſolvis reos.
Poſtquam cruoris aſpera exarſit ſitis,
Et imago mortis blanda recreavit meam
Rabiem in Dynaſtas, ſomnus obrepſit brevis,
Et membra ſolvit. Horrida heu ſpectacula
Objecta menti! Patria ſpectandam dedit
Seſe colubris cinctam, & ardenti impetu
In me triſulca tela criſpantem manu.

Hæc

Hæc te, ſuperbe, tela perſtringent brevi,
Procerum decorem falce ſi dira ſecas.
Dixit, & in auras abiit, ut ſpectrum leve.
Solvantur: odia frænet accreſcens honor:
Lycia Artabaſdûm prona veneretur Ducem,
A me ſecundum; plurimæ Aliſiûm augeant
Achaiæ Urbes: dona ſint aliis ſua.
Ad avita redeant oppida. Haud quicquam dolis
Tentare poterunt: arma ſi tumidi petant,
Excidia quærent. Ultionem quamlibet
Tunc conſecrabit hoſtium haud dubium nefas.
Roſmane, mea conſilia captivos doce.
Tua mens probatur, Patria tibi adhæret minax.
„ Cedamus: hoc eſt fortis, effrænum impetum
„ Frangere rebellis cordis, & mentem ſuam,
„ Si ratio pugnat alia, non ſemper ſequi.

SCENA SECUNDA.

Decernit Nicephorus Artabaſdi Filius precibus, auro, aut vi, Patris vincula ſolvere.

Nicephorus, Arſaces.

Nic. Ad vincla properat genitor, ego laqueis fetas
Capto innocentes? Barbare, an Patrem decet
Servilis horror carceris? Mendax, vafer,
Sperare de te hoc dederat ignotum genus.
Infauſtus augur mente ſolicita nefas
Immane timui, quando nequidquam preces,
Lacrymaſque fudi, Genitor in ſylvis dies
Ut ageret, a quo publica diem haurit ſalus.
Mihi ſubeunda, Genitor infœlix, peto
Diſcrimina: tuas ipſe cauſabor moras,
Dixi, Tyranno: tutus hic hære, o Pater,

Agmine tuorum cinctus: excubias agant
Sua membra menti: tegere te noſtra ambiunt
Pericla: ſi Tu, vita nobilium, peris,
Periimus omnes. Irritas venti preces
Tulere. Perſtat fortis, ah fruſtra, & pius:
Ætaſque, dixit, Nate, tua certos dies
Potius meretur: ipſe dum vivas, ero
Superſtes, animi, nate, pars melior mei.
„ Pericla fortes nulla detrectant Duces:
„ At hæc ſubire cogor; invitat vafer
„ Tyrannus: hæream? mora rebellem arguet.
Aperire Martem cauſa communis vetat,
Dum fœderati Principes nectunt moras.
Hæc ubi loquutus, ultimo amplexu, meo
Collo pependit: lacrymæ injuſſæ genas
Noſtras rigarunt fletibus miſtæ Patris.
Ut imago vivit dulcis! ut gliſcit dolor!
Properemus alacres: æqua ſi ratio valet,
Flectam Tyrannum precibus: auro ferreas
Franget catenas nulla cuſtodum fides:
Adamante vel ſi rigeat innectens chalybs,
Miſerumque miles cingat innumerus Patrem,
Gladio recludam vincla, ſive urgens opus,
Fortis paternos natus ante oculos cadam.
Arſ. Compeſce furias, Ductor infœlix, truces.
„ Si nimium amor ferocit, igneſcit furor.
Celer Imperator funeri addicat Patrem,
Ne metue, Princeps. Lenta permittet mora
Inire rurſus fœdera. Ad bellum ruis?
Quod te coronet militum robur, vide.
Prærupta ſaxa, carcer ubi patrius riget,
Cuſtode Princeps cingit innumero timens.
„ Amore flagras Patris? incolumem Patri
„ Tuere natum: ſpiritus vivit Patris,
„ Tuoſque animat artus, ut informat ſuos.
Tua carior ei vita, quàm ſoles ſui.
Reſiſte, Princeps: Alius hìc vivit Pater:
Fata

Fata properabis alreri, ſi urges iter.
Ultor Patris future, ſi foſſus cadat,
Aut vita reducis, nemora ſecurus pete.

Nic. Vitam negas, amice, ſi gratæ negas
Pericla mortis: Patre viduatus necem
Delibo longam. Patris ut ſubeam vices,
Si vincla donet Barbarus, vitam dabit.
Si pereo vindex Patris, evito necem.
„ Tormenta dulcis effera exhilarat amor,
„ Aut vim doloris hebetat, aut ſenſum necat:
„ Crudelius amor corda, quàm torquet dolor:
„ Vexat tyrannus pectora in præſens amor,
„ Ægro medelam pectori adhibebit dolor.
Docuit Megæra, barbare, ineundam viam,
Ut mortis expers funus extendas meum,
Et mortis avidos trahere me cogas dies,
Vexando Patrem: membra qui nectit chalybs
Paterna, ut enſis corda tranſadigit mea:
Vitam malignam illi, mihi mortem parit.
Vitæ parentem lætus ad mortem volo:
Hæc una taciti funeris ſenſum opprimet.
„ Properemus: aſtra Numine ſecundo tegunt
„ Pietatis arma. Chriſte, qui mortalium
Frangis catenas fortis, atque Erebum domas,
Solvere parentem viribus nitor tuis,
Adamante quanvis triplici immiſtus chalybs
Currat per artus. Mortis, ac vitæ Arbiter,
Conſilia fauſtis noſtra tu auſpiciis fove.
Vel dona vitæ natus adjiciat Patri,
Vel cum Parente Natus ad Cælum volet.
Stat, fatum idem ſubire, quod genitor ſubit.
Propinqua in Urbem porta fœlices dabit
Aditus, frequens quam turba non unquam colit.
Tu, militari veſte depoſita, Creon,
Lectas cohortes calle non uno jube
Paterna celerem ad ſaxa moliri gradum.

SCENA TERTIA.

Armis tentandam ſolutionem Patris præſagiens Nicephorus auxiliares copias ad Urbem invitat.

Nicephorus, Arſaces, Nuntius.

Nun. Prævius amicas nuntio Cremetis brevì
Hìc affuturas copias. Ad ſylvam iter
Erat inſtitutum, at Fama detorſit tui
Curſus ad urbem,
Nic. Cœpta fortunat Deus.
Quàm grata, juvenis, afferàs, torques docet
Monumentum amoris, colla qui cinget tua.
(*Torquem illi donat.*)
Ut adfuiſtis tempori! Inſidiis Patrem
Excepit, imminenti & addixit neci.
Hæc dextra Patrem ſolvet, aut mortem oppetet.
Nunc veſtri ut alas explicent Socii, decet,
Niſi præda ab illis petitur, haud victoria.
Nun. Noſter volatum fulminis vincet furor.

SCE-

SCENA QUARTA.

A metuente Tyranno deludi ſe opinati Principes contra illum apertè pro communi bono pugnare in animum inducunt.

Artabaſdus, Aliſius, Adraſtus, Dacius.

Art. Aurâne lætâ fruimur, alitibus quoque
Feriſque blandienti, an infixum levant
Somnia dolorem? Vigilone, an larvis agor?
Ingrata patriæ mœnia evaſi vigil,
Quæ regimen ambit Plebis, & adorat manum
„ Rabidam Tyranni? Infauſta ſors mortalium,
„ Tormenta queis fugiſſe non prodeſt: ſedet
„ Hæres doloris cura poſt etiam necans.
Adhucne vinclis dextera æratis riget,
Ut memoris animi vividus credit dolor?
Cur dubia lucis dona luminibus timens
„ Haurio retortis? ſponte cur miſeri ſumus!
Acr. Munera latronum! Ducere malignos dies
Sinit Tyrannus, tradere inſontes neci
„ Cum poſſet? Odia ponere edocuit amor,
„ Quo ſe tuetur; noſtra non cordi eſt ſalus.
Ultor ferocem terruit populi chalybs.
Dac. Nos & ſuperbis latro nominibus vafer
Traducere audet? Sceptra, quæ ex vero rapit,
Ludicra donat? Rector o Lyciæ recens
Salve, Artabaſde. Siccine & ludos dabunt
Patres Tyranno? Nulla res titulo ſubeſt;
Et ſi ſubeſſet, dona dedecorat manus
Munifica ſervi, cujus & amorem horreo.
Adr. Nunc arma rapere, Marte nec tacito decet
Dele-

Delere inuſtas nomini noſtro notas.
Hic, vel Copronimi ſanguis extinguet ſcelus,
Solvetque forti morte, ſeu juſta, nefas.
Art. Ad arma, Proceres: Martium rectà nemus
Repetamus: illinc fata, vel victoriam,
Quæremus alacres. Animus ad mortis viam
Dudum paratur. Nemo privatas faces
At corde foveat: unus accendat rogus
Sitim cruoris barbari, & furias pias,
Amor ruentis patriæ, & mundi jugum,
Quod lentus olim fomes irarum fuit.
Injuria recens addat haud Ætnæ faces,
Quæ in corde vivit; Æqua ſed ratio æſtimet,
„ Quod ſi Dynaſtas facilis addicit neci,
„ Et ebrius Tyrannus, & eoſdem brevi
„ Non profuturo abire conſilio jubet,
„ Suumque fabricatur excidium volens,
„ Crudelis eſt, ac mentis emotus ſtatu,
„ Ideoque patriæ noxius. Ut illam eximat
Tyrannide, ſitit barbarum hic mucro latus.
Quæ pareret odia funus indictum, ſpecus,
Triplex catena, victima ante aras Deo
Cecidere, & illa rurſus animare haud licet.
Non agmina furor impius, at amor innocens
Patriæ ruentis præeat, atque ultor Deus.

SCE-

SCENA QUINTA.

Fidem non adhibet Nicephorus Roſmano affirmanti exemptum carcere Artabaſdum eſſe.

Nicephorus cum militibus. Roſmanus Magiſter Equitum ex alia parte illi obvius.

(*Nicephorus verſus ad ſuos hærentes intra proſcenium.*)
Veſtigia premite noſtra vos belli Duces:
Diverſus alios callis ad montem ferat:
Fulmineus enſis lateat, & vultus minæ.
(*Roſmanus ex alia parte ſuperveniens.*)
Roſ. Quò te volantem rapidus abripiet furor,
Magnanime juvenis? Nobilem haud ſequeris Patrẽ,
Gaudiaque ut augeas Patris, aſſocias tua!
Nic. Mihi tua vota deſtinant nexus, Patrìs
Ut pœna noſtris robur e vinclis trahat?
Barbare! malignæ mentis haud rabiem probo,
Probo catenas, ira quas optat tua:
Sequi parentem, vel ſepultum umbris, placet.
Roſ. Quin te ſolutum Patris urgentem latus
Geſtire cupio: Patria libertas tuo
Geminaret ore gaudia.
Nic. Exceſſit Pater?
Mortalis ergo carceris aperuit viam,
Et jam ſolutus animus ad Cælum volat?
Tam citò maligna falce libitina irruit,
Solvitque nexus corporis? Ego moras traho?
Cœcamque te per ſemitam haud, Genitor, ſequor?
Roſ. Vivum ſequare, carcere exemptum, novis
Titulis ſuperbum, avita Telmeſſi juga,
Vel alia juris oppida petentem ſui,

Quæ,

Quæ, ſparſa Lyciâ, nobili ſceptro premit.

Nic. Lactare dulcis pabulo atroci ſpei,
Nequior Ulyſſe, credis, ut ſomnum bibam,
Dum blanda Siren ore pellaci canit?
Abſcede mendax, vel per abſciſſum viam
Pandam cadaver, vincula ut ſolvam Patris.

Roſ. Si dira mortis aſperat mentem ſitis,
Ut amica damnes verba, in ambitam necem
Cur geſtientem ruere non juvenem ſino?
„ At furor amoris efferi culpam elevat.
Non vana, Princeps, affero: haud turris Patrem,
Haud vincla ſtringunt: Urbibus Lyciæ præeſt.
Non ego Sinon; at noſtra conſilia impios
Fregere nexus, crede, Genitoris tui.

Nic. Quod libat æger, melle, dum tenuis ſopor
Fluit per artus, paſcere an tentas, vafer,
Ut nos amaro felle mel dirum necet?
„ Captum doloſè abire tam velox ſinat,
„ Mortem minatus?

Roſ. Noſtra conſilia, & minæ
Per ſomnium oblatæ, ac populi atrocis timor
Flexere mentem.

Nic. Nulla ſit verbis fides.
„ Artem Tyranni regiam dicunt dolos.
„ Cryſtalla ceu ſol induens pingit ſuam,
„ Aliaſque imagines novus Apelles fugat;
„ Sic delet omnes corde regali notas
„ Amor imperandi: quilibet motus perit
„ Antea tyrannus animi, ut auratos vibrat
„ Radios ſuperba ſceptra torquendi ſitis.

Roſ. Ne corda larvis pavida tenebroſis agi
„ Permitte, Princeps. Subita fortuna obfuit
„ Aliquando, ſpe præcepta niſi fauſta fuit.
„ Ut refuga torquet lumina diurnum jubar,
„ Viduata ſole quæ diu clauſit ſpecus.
„ Suſpicio fraudis cordi ut incubuit ſemel,
„ Sævius & ipſa fraude cor pavidum ferit.

„ Illi

„ Illi ſerenam haud explicat Phœbus facem:
„ In ſpectra Phœbus migrat, in furias amor.
Arcana cordis, timide, ſi ſubeas mei,
Tuoſque vultus, quos amor pinxit, legas,
Non te pavoris eſſe ludibrium ſines.
„ At fraudis horror mentis extinguit diem,
„ Strageſque tantùm, & monſtra Tantalea refert.
„ Sceleris colores induit quicquid ſubeſt
„ Oculo trementi: læva jam dextram timet,
„ Suas & ipſa dextera inſidias cavet,
„ Frangi rebellis jura naturæ putans.
„ Suſpicio ſic imperia ſi cordis rapit,
„ Se dente pavidus lancinat fruſtra ſuo.
„ Deluſe larvis Arge, qui centum vibras
„ Oculos, & arte perfida verè facis
„ Miſeros, doloſè falſa quos cruciant mala.
„ Suſpicio, monſtrum informe, quod nutrit timor,
„ Tenuare robur ſolitus: & vires trahit,
„ Si creſcit idem virium extinctor timor.
„ An fauſta nimium vita mortali fuit,
„ Ut læta temperare quæſitis malis
„ Cogantur, animam dando monſtris horridis,
„ Quæ armis timoris uſa & Heroas necant?
Cor lingua ſequitur noſtra, ceu flores odor,
Radiique ſolis indicant certi jubar.
Gravis humus illi incumbat, illi ulla haud quies
Ducatur, auſus ore qui primus fuit
Simulare mentem: ſancta tunc obiit fides,
„ Suſpicio in auras venit, ambitum malum,
„ Quo corda certè cruciat, ut dubia miſer
„ Pericla fugiat. Verba non unquam dedi:
Reflecte greſſus: abiit e vinclis Pater.

Vic. Quid, anime, torpes? dubia quid nutas fides?
Credimus! an umbris timeo Genitorem premi?
O carcer! o cur vincla non etiam mihi
Dextram ligaſtis? Patre cum vincto chalybs
Sceptra ſuperaret. Amat hic, aut cudit dolos?

Certè

Certè Copronimo adhæret: adhibeo huic fidem?
Tyrannus hunc edocuit, ut Patres amet?
Quin hunc Ulyſſes miſit, ut nectat moras?
Bifrons, bilinguis blatero, verborum artifex,
Oracla vendas alteri. Tempus ruit,
Noſque immoramur? vincla genitorem gravant,
Et hic quieſco perfidus? Adurge gradus
Quicunque noſtrum miles obvallas latus.
In me catenas Patris, in me ſpicula
Invito, deſtinata patris vertici.
„ Amo, nec ad mortem volo? Habet alas amor.
(*Diſcedit cum ſuis*)
Roſ. Abiit procellæ ſimilis: ad ſummos dolos
Gratis vocamur. Juvenis infœlix necem
„ Tam providè venatur. O fraudis timor
„ Noxior & ipſa fraude!

SCENA SEXTA.

Leo Conſtantini filius decretum Nicephori de ſolvendo Patre cum Scurris irridet, & Principibus avitam gloriam jactantibus inſultat.

Leo Conſtantini filius. Totrogus, & Arcas, Scurræ. Roſmanus Magiſter Equitum.

Leo. Quis mortem, rogo,
Venatur avidus, nemo quam ſanus cupit,
Evitat omnis?
Arc. Ipſe præſertim catus,
Ad opiparas abdomen ut ſervem dapes.
Roſ. Nicephorus, quò vincula exolvat Patris
Dudum ſoluta.
(*Abit Roſmanus*)

Arc.

Arc. Auxilia Therſitæ afferet.
Totr. Nunc maria fruſtra miſcet, & Cælum efferus.
Arc. Phrygum & nepotem ut ſe probet, ſerò ſapit.
Totr. Prærupta ſaxa forſan auratis putat
Superare malis? Quatuor e montis jugo
Saxis petitos, ova ceu frixa, oppriment
Alta ſubeuntes.
Arc. Cerno? præcipites ruunt.
Totr. Inque caput acti, plebis exhilarant jocum.
Quanquam timoris cauſa non tenuis ſubeſt:
Procul agimus nos: dubia belli eſt alea.
Abſente nutat Totrogo populi ſalus,
Prætoria ruunt. Laudo conſilium hoſtium;
Legere tempus optimum belli dolis.
Si rubra torquens lumina, Orientem altero,
Alio Occidentem ſolis intuitus domum,
Ex arce fulminaſſem; ut has vultus minas,
Iraſque blandas, Gratiæ riſus feros,
Libaſſet oculo attonita nobilium cohors,
Vivo ſtetiſſet marmore induta ocyus.
Pelion Olympo ut aggerans quondam Gigas
Petebat aſtra tumidus, & marmor ſtetit,
Enceladus olim, Pallas ut pulchram ferox
Faciem Meduſæ aperuit: haud alia foret
Sors perduellis, ora ſpectantis mea.
Quod ſi rotaſſem fragmen immenſum jugi,
Periiſſet omne Principum Hectoreum genus.
Veneris nepotes, gente quid priſca tumens
Veſtta ira fervet? Nominis magni parit
Imago riſum, & ludicrum lixæ jocum.
Nil ſtemma prodeſt, ſtigma ſed lauros parat.
Leo. Fumoſa jactent ora proavorum Ducum,
Naſo carentem Aſcanium, & Anchiſæ caput,
Ipſoſque patribus inferant Vatum Deos:
Inſana fruſtra corda diſtendit tumor.
„ Traducit abavos vita natorum jacens,
„ Et imagines funeſtat ignavus nepos.

„ Cen-

„ Cenſere longo ſanguine, & proavis poteſt.
„ Generoſa virtus: Paulus es, Druſus, Cato,
„ Te quando virtus, vera nobilitas, præit:
„ Agnoſco Procerem. Genere quid priſco tumes
„ Trojugena, ſtatuas moribus referens tuas,
„ Tenuis imago, & umbra priſcorum Patrum?
„ Si prima repetas nomina, & veros avos,
„ Erit ad aſylum transfuga infamis latro,
„ Aut paſtor, a quo vile deducis genus.
„ At eſto Achillis pronepos: majus trahunt
„ Tua vitia probrum. Magna nobilitas Patrum
„ Eximit ab umbris, crimini & præfert facem.
„ Sed num decorum ſtemma virtutes alit,
„ Ut vitia pandit? Imò virtutes necat
„ Regale genus, & fama proavis maximis
„ Innixa, quæ non fræna, non leges timet.
„ Patrum ſuperba honoribus, nullum parit
„ Ipſa ſibi proles lumen, & ſegnis jacet:
„ Aliena tollens decora, contemnit ſua.
Non ego vetuſtis grande nominibus genus
Duco nepos inanis, aut proavis fruor,
Patrum triumphis plenus ut Juvenis furit.
Novitas probatur noſtra: non ſceptrum leve
Torquet pater, avi munus; at forti manu
Tractanda rapuit ſceptra genitoris pater:
Virtute ſolium invaſit, ex humili potens,
Domitorque regum. E Patre regalem indolem
Fœlicius ego primus ex illo haurio,
Quàm longa ſeries ſi numeret atavos Duces.
„ Fluxere in unum decora, quæ innumeris queunt
„ Donare famam. At primus e magna fluens
„ Radice ramus vividum robur trahit,
„ Vincitque reliquos, alta quos arbor parit
„ Poſt luſtra ſeptem. Moribus vincam Patrem,
Aut æmulabor: omnis à nobis fluet
Laus in nepotes: nobilis proles erit
„ De me parente. Ducere, an præſtat dare
„ Re-

„ Regale nomen? Primus Imperii Pater
„ Centum faventis perſonat famæ tubis.
Sorti teneor, e plebe quod proavus fuit:
Stirpe hac perennis pullulat laudum ſeges.
Totr. Tu picta rides atria, exeſos avos,
Virtutis involutus endromide tuæ:
At mihi Agamemnon genitor affundit jubar,
Atreus & avus. Ut olida triclinia, meis
Et imaginibus ſuperbiunt Bacchi lares!
Tibi, Adriane, noſter inſultat Parens:
Stans præſtolaris fata, ceu Reges decet;
At ille choreas ducit, & fatum ſubit.
Quin alta pandens corda ſublimis perit,
Promerita celerem ad aſtra molitus gradum.
Tertius ab illo cenſeor, qui palmulis
Nerei frementis regna generosè abſcidit,
Vicitque Xerſem, qui decem colaphos mari
Impegit audax. Gentis at laudes petis,
Et merita, tantum de quibus fluxit decus?
Quis aucupari vocis afflatus levis,
Et vitia plebis tacita, quis patrum dolos
Alacrior expiſcari, & auditis ſuo
Multum ipſe marte adjicere, quàm Patruus fuit,
Virtutis hæres cujus & nomen traho?
Immiſtus ille cœtibus frontem explicat,
Suique cordis omnibus pandit fibras,
Et amoris argumenta: dein populi Duces
Mordere primus, conqueri impoſitum jugum,
Legeſque diras, donec incauti auribus
Arcana bibulis cuncta deponunt: volat
Delator ille nobilis, Regem docet.
Si clamor increbreſcit, aut populus frequens
Confluit in unum, Totrogum pennæ ferunt:
Pretioſa veſtis nobilem, frons candida,
Et mitis oculi riſus innocuum probant;
At ille amorem Principis cautus legit
Per damna populi, & voce theſauros parit,

Aurum creando Theſſalas vincens anus.
At dextra Dædalea Genitori fuit,
Audere quidvis fortis: ingenio, Lacon,
Tua furta vicit. Judici exonerat latus
Gravidà crumænà, reſte carnificem exuit,
Diuque ſcalæ innixus expectat necem.
Piceata funem at alterum avellit manus,
Vitamque, prœmium artis, hoc ludo refert.
Gentilis iram Martis, & robur ferox
Recutita plebs experta, quam ſaxis Avus
Appetere ſolitus diffidit Judæ caput,
Quòd obſtinatus mandere negavit ſuem.

Leo. Si patria virtus indolem fortem indidit,
Quid arma differs rapere? celeremus gradum:
Vinces Achillem, nobile Aſſaraci genus,
Faſtoſque gentis laude complebis nova.

Totr. Vicere noſtri milites dudum, reor.
Potius Penates Ævii, & Cereris lares
Populemur alacres: expedit palmis Patris
Libare pateras, lætitia quibus innatat.
Dum noſtra jactabam decora, ludos dabam.
Non alia Proceres cauſa proſcindi jubet,
Quàm quòd ferarum rictibus Pictor, tui
Juſſu Parentis, ora nobilium induit.
Cervos, & apros ergo confoſſos juvat
Rabidè vorare: has belluas credam Patres.

Arc. Violentus illis noſter incumbet furor.

Leo. Generoſe magnes verberum, patriam indolem,
Populando Bacchi regiam, mundo proba.
Ad vera Martis decora me Genitor vocat:
Et hic rebelle gladius irruere in latus
Sitit. Intuere, Patria, num ſceptrum hæc manus
Agitare poſſit: indolis noſtræ cape
Prima rudimenta, fruere geminato Patre.

SCE-

SCENA SEPTIMA.

Interiiſſe Nicephorum narratur.

Nuntius.

Nun. O dira fata, o mortis invidia impiæ!
Quas heu querelas affero, & luctus Patri!
Generoſa proles obiit: infœlix amor,
Ut vincla ſolvas Patris, ad mortem ruis.

ACTUS TERTIUS

SCENA PRIMA.

Feſtinat Artabaſdus auxilium afferre Filio pro ſe fruſtra pugnanti.

Artabaſdus, Aliſius, Adraſtus, Dacius, Milites.

Art. Aciem trahentes ultimam auxilium leve,
Animoſque magnos militi noſtro damus.
Generoſus ardor Filii quantas ciet,
Fruſtraque flammas! Juvenis infœlix! amor,
Tuus amor, odio pejor, excidium parit,
Mortemque Patri: noſtra moliris lucra,
Vitæque prodigus ora derides necis,
Ut vincla ſolvas liberi, ah fruſtra, Patris.
Si peccat amor infauſtus, eſt inſons amor,
At ſpicula vibrat cœca, licet inſons, amor.
Nunc militum agmen tenue conflavi ocyus,
Quod mane ſummo, ſigna dum proles rapit,
Sine Duce liquit, namque præteritam hilares
Fregere noctem rure, quod nemori adjacet.
Non una reliquos porta, vos mecum citos
Accipiet hæc nobilior, & populo frequens.

SCE-

SCENA SECUNDA.

Auditam Nicephori mortem, ac miram ejuſdem ſtrenuitatem Artabaſdus, illiuſque Socii deplorant, eamque ulturi miſcere ſe ſtatuunt mentito vultu Prætorianis militibus Tyranni, atque illum de medio tollere.

Nuntius, & qui ſupra.

Nun. Quis te furentem fervor incaſſum rapit,
Miſerande Pater, ah non Pater Juvenis tui,
Lucina primo læta quem niſu tulit?
Auxilia differs lenta? ruit ille ad necem,
Ut vincla tua aperiret.

Artab. Infœlix Pater!
Comperta narras? Obiit? O nate, o dolor,
Dolor o parentis! Ipſe te occidi impius,
Tibi cauſa mortis noſtra libertas fuit.
Ut, o, dolorem tantus exacuit amor,
Qui fata proli peperit! Atque auras traho,
Immane monſtrum, vivo! nutritum malis
Cor lacrymas hauſit: gravior omni dolor
Caret medela: ſanguis, haud lacrymæ tuum
Funus ſequentur, Nate, nequidquam pie.

Nun. Ut improbus capeſſeret vires dolor,
Si, quanta virtus periit, aperirem Patri!
Et ut relinquens membra generoſus vigor
Fata in triumphum tranſtulit, cordi forent
Mea verba telum.

Art. Fare, ne quicquam premas:

„ Nam corda ſaucia ſponte fel ſugunt ſuum.
Nun. Carcer ut ad aures appulit nati tuus,
Ad ſigna cogit milites: raptim trahit
Acies ad Urbem, & calle non uno jubet
Prærupta petere ſaxa, quæ ſimul attigit,
Tua vincla ſolvi precibus armatis rogat.
Audit ſoluta: credit inſtructos dolos,
Et arma ſtringi, ſaxa ſuperari ardua
Voce imperat; ſed enſe, quo cunctos præit,
Militis egregii, & partibus functus Ducis
Cuicumque robur addit, & furias pias.
Urgemur undique; unum at obruunt decem.
Volat ſagittarum imber, haſtarum nemus
Circumſtat: hoſtes ille confertos petit,
Ubi Mars ferocior ardet, in vultu afferens
Hoſti pavorem, in dextera haud dubiam necem.
Accendit oculos ira, ſed furiæ placent
Illius in ore, frontis & pulchræ minæ.
Non æra pectus hoſtis, aut adamas tegunt
Fulminei ab ictu Principis: rivos cruor,
Aggeſta montem corpora efficiunt, tui
Trophæa Nati. Petitur aſt ille omnium
Unus ſagittis, columen eſt quippe omnium
Contra Tyrannum: vulnere en denſo patent
Generoſa membra, ſanguinis rivi pluunt:
Non vita, virtus animat exanguem ferox.
Prætorium tunc liquit ad bellum ruens
Furiis Copronimus cinctus, & pictum ferens
Plutona vultu, viribus & ipſe integer
Fractum labore aggreditur. Haud cedit tamen
Ultro ille palmam: vulnere immani vicem
Solvit Tyranno, cujus haud ſolo cadit
Confoſſus ictu, plurimæ aſt urgent manus
Juvenem, cui arſit integra in dextra phalanx.
Ultioque dulcis defuit: ad arcem ilicet
Rediit Tyrannus. Principis teſtem invoco
Mei cruorem nobilem: nemo ſuis

Peper-

Pepercit annis; aliter at viſum Ætheri.
Non ille humum momordit, at Cælum petit
Morti innatante lumine, & credas adhuc
Ferire votis aſtra: fulmineum tenet
Dextra enſem; anhelans vivit in letho furor,
Et mors minatur: pectori incumbit pio
Siniſtra niſu, & cordis eſt index opem
Superûm rogantis. Fœdus ut amoris placet
Divini, & iræ, quam patriæ honeſtat ſalus!
Flos decolor, poſt ſunera ſuperſtes lepor,
Colore noſtra en ora lethali induit,
Similiſque functo eſt vivus. In ferrum ruit
Nunc ultionis avida bellantum cohors,
Vitamque largè prodigit, pennas celer
Ut explicare Principis poſſit comes.
Infauſtus at ego nuntius fatum affero,
Pericla fruſtra reliqua ne ſubeas Pater,
Vitam illi ut augeas, necem invites tuam.
Art. Nimium dolori fata lenimen dabunt,
Ultioque grata: carnifex at erit dolor,
Hoſtili & enſi patris hanc umbram auferet.
Quid vivo, quid reſpiro, ſi noſtræ fuit
Quæ cauſa vitæ, liquit inviſum diem?
Æterna nox luminibus incumbat meis
Sole viduatis. Una pars periit Patris,
Pars alia ſupereſt: Vile portentum, moror
Auras quid ultra, non ſuperſtes integer?
Fulcimen erat ille unicum afflicti ſuper:
Alliſit hoſtis impius binos ſolo.
Ingrata ob illum vita mihi grata accidit,
Nunc mors amatur illius in ore inſidens.
O nate, patri ſummus, ac præcox dolor,
O Patris os, & lingua, qua primùm parens
Sum dictus olim: robur illuſtris domus,
Parentis umbo, grande Bizantj decus,
Abis relicto patre, non patre. Auferor
Ego quoque. Cæli Rector, aut patrem feri,

Aut redde natum. Præſtat at longum magis
Bibere dolorem. Vita lethalis fluat:
Vivi perennes ducat inferias Patris.
Sortem malignam vita placabit mea:
Immane par hæc pœna comitatur nefas.
Vivamus, umbra Patris! æternus dolor
Inſideat animo, prolis & raptæ ferox
Imago felle nectar, ululatu melos,
Flores colubris mutet, urticâ latus
Plumæ incubans adurat, Arabia urgeat
Odore nares improbo, ambroſiæ dapes
Peſtem propinent. Scena poſt funus meum
Divexet umbram flebilem, æternam trahat,
Vel me cadente, noſter ut vitam dolor.

Acr. Magis æqua luctus cauſa non unquam fuit,
Miſerande Genitor. Marmore rigerem tuo
Non ſaucius dolore: me credat Patrem,
Qui noſtra videat corda: jactura omnium
Urget querelas omnium. Spes Patriæ
Hoc interempto periit: heu nimium breves,
O Patria, delicias tuas! o irrita
Conſilia Procerum! Sic tibi antiquum decus,
Generoſe Juvenis, reddimus! foſſus jaces?
Sed obſtinato forſitan tempus dabit
„ Finem dolori. Oblivio, & Conſtantia
„ Hebetare tela maligna fortunæ ſolent.

Artab. Dolor dolorem pariat, & vires trahat.
Lenimen hoc, hoc poſtulo: ut doleam magis.
* Solamen unum eſt cladis, ut doleam magis
Supereſſe vitam: creſcere hoc ſolùm poteſt,
Minuendus unquam ſi dolor noſter foret.
Ego te peremi, ſomnium, & ſpectrum Patris:
Ictu paterno concidis: nexus mei
Tibi fata pariunt, miſera libertas necem
Proli elaborat. Improba ſecuris caput
Cur non ſcidiſti? Natus hæſiſſet meus,
Nec irritos fudiſſet incaſſum dies.

Opta-

Optate ſaltem carcer, æratis diu
Cur me negaſti, perfide, catenis frui!
Ut advolaſſet nuntius ad aures Patris
Ad arma natum ruere, licet adamantinis,
Fractis catenis, Dædali pennas amor
Aptaſſet humeris, & per aereas plagas
Raptum tuliſſet prolis ad noſtræ latus,
Ubi deſtinatis filio poſſem ictibus
Induere pectus. Cordis hoc dubius timor,
Abeuntis hoc in carcerem inſolitus amor,
Præſagiebat: urbe ab inviſa pedem
Quando ferebam, cœca tempeſtas meum
Vexabat animum. Carcere & abivi miſer,
Eſſem interemptor nati ut infœlix Pater!
O nate fruſtra fortis, o luctus meus!

Adr. Miſeranda Proles, & miſer etiam Pater.
Utrum querelis urgeo, & luctu prius?
Pater ne miſerabilior, an proles erit?
Pro Patre filius innocens ferro cadis:
Patrem tuus amor enecat. Mirus dolor!
O amor in aliena bona profuſus magis,
Quàm propria! calor o, igneum Phœbi jubar
Vincens, vel æquans, nulla diſperſi lucra
Quærens nitoris, alteri ſemper favens!
At non pudendis, nate, vulneribus jaces
Perempte, fato nobili functus, tuam
Patriam cadentem ſequeris, & eandem excipis
Fortis ruinam, quæ Patriæ amatæ incubat.
Mortem, an triumphum, ſic diem claudens, ſubit?
Magis ergo luctu dignus infœlix Pater,
Longa minueris morte, quam pariet dolor.

Dac. At ultionis blanda nos hilaret ſitis,
Spe corda paſcens. Ætheris ſummi Arbiter,
Hæc ſcelera fulmen præterit, montes quatis?
Vbi eſt cruentus Carnifex, proles Patri,
Vel Cerbero, execranda? Quamprimùm vomat,
Quo vivit, animi virus, ac terras levet.

Et quando vires mentis effrenum impetum
Non aſſequuntur, præſtat ulciſci artibus.
Mutemus arma: Galea, clypeus, milites
Referat Tyranni: protegat vultus notas
Simulata lana, novuſque ſuffuſus color.
Hac fronte regis barbari urgemus latus,
Et deſtinato ſolvimus ferro fibras
Cordis maligni. Patria libertas ades:
Tunc interemptor clamet, & vultum exerat:
Stringantur enſes, & vel excutimus jugum,
Vel morte cadimus nobili, ut fortes decet.
„ Quis in hoſte damnet callidos Martis dolos?
„ Dolis agentem premere quis vetuit dolis?.
Art. Dacium ſequamur ſegnis inimicum moræ.
Luctus perennes æqua vindictæ ſitis
Compeſcit: auras trahere cupiebam diu,
Ut cordis eſſet tortor æternus dolor.
Dolor faceſſe; rapiat imperium furor.
Reprehende, Juvenis, milites, quos altera
Provehit in Urbem ſemita: hoc nemore abditi
Vos præſtolamur: agmine hinc Bizantium
Tenui petemus: Aſtra fortunent iter.

SCENA TERTIA.

Clearchus, & Sergeſtus ad ſylvam, ut ſe Artabaſdi agminibus addant, iter inſtituunt.

Clearchus, Sergeſtus, Duces cum Artabasdo fœderati. Milites.

Clea. Humana quanti conſilia caſus rotant!
Brevis hora quot theatra, quot rerum vices
Aperuit! Undis mergere occiduis equos

Quan-

Quando properabat Phœbus, hilares repperit
Noſter Dynaſtas Nuntius, Victoriæ
Spe geſtientes: Carcer at luctus parit,
Mortiſque terror: gaudium en iterum breve
Exoritur: abeunt liberi e vinclis Patres.
At, rapte Juvenis, lætitia tecum ruit.
Nec ante Phœbus condet exortum diem,
Quàm reliqua majus funus excipiat mala.

Serg. Sorti protervæ munera redono irrita.
„ Certum ruinæ tollit, ut ab alto cadat,
„ Ridetque bifrons, oſculum ac telo imprimit.
Magnanime Juvenis, igne jejuno procul
Patris intueri vincla non pietas tua,
„ Non potuit ardor. Quodlibet ſævum Atropos
„ Torquere fatum ſtamine arcano poteſt,
„ Quanquam ſit atrox, & licet gravidum malis,
„ Eſt dulce amanti, damna ſi amplexus ſua,
„ Relevat amicum. Aſt irrite o inſons amor!
Libitina vecors floribus nimium inhians,
Quos grata ſpes lactabat, & Apollo favens.

Clea. Nunc iter ad umbras nemoris, ubi mæſto licet
Inopem medelam, & ferre ſuppetias Patri.

SCE-

SCENA QUARTA.

Decepti ab habitu Prætorianorum, quem alii Artabasdi milites induerant, ſocios ſuos Clearchus, *& Sergeſtus invadunt, & ingreſſos Urbem inſequuntur.*

Martius, Pilades, aliique Artabasdi milites ſub habitu cohortis Prætorianæ Imperatoris. Clearchus, & Sergeſtus prius hærentes ad ſcenæ latus, deinde in medium progreſſi.

Mar. Pericla primi dulcia, illuſtres dolos,
Tentemus alacres: pro patria etiam hoc licet,
Veriſque amicis: premere conſilia eſt opus:
In corde Mavors regnet, inque oculis amor.
Clea. Quæ barbari pericla, quos tentant dolos?
Cladem Artabaſdi quippe, ne ſcena ultima
Deſit theatro. Perfidi, hoc etiam licet?
Nobiſque dextra torpet? Irruimus, viri?
Pil. Vt igneus furore vaginam increpat
Gladius, & in latere hoſtis epulari cupit!
Serg. Noſterque dormit enſis? Hi pœnas dabunt.
„ Ad bella cogit hoſtis in fauces ruens.
Hæc tibi reponit tela Nicephori cruor.
Mart. Larvis aguntur, miles addenſa gradus:
Nos alia quærunt bella, ſimulato eſt opus.
Serg. Prætoria haud vos protegent, non efferi
Sinus Tyranni. Pereat inviſum genus.
Mar. Eat in medullas mucro, ſi mortem ambiunt.
Serg. Mactetur hoſtis.
Mar. Siſte, ſive umbris gravis
Bibet paludem cymba Tænarii ſenis.

SCE-

SCENA QUINTA.

Artabaſdus, aliique Principes expendunt, infortunium ſuum, a quo adacti ſunt ad ſe fingendos Tyranno ſervientes milites.

Artabasdus, Aliſius, Adraſtus, Dacius.

Art. Fortuna, rides? ora cœlantes ſua
Rides Dynaſtas? Memet obvelat mei
Pudor, timorque, fateor. Exulta furor
Sortis malignæ: ſiſte, do victas manus.
Ad furta belli invidia me cogit tua.
Supereſt quid ultra? Et Artabaſdo fraus placet!
Tibi, nate, ſpecimen ultimum referat amor:
Mea regna vultum clepere ſervili ſago
Nunquam impuliſſent, teque ut ulciſcar, premor
Prætextus ære. Præſtat, antiquum decus
Occulere, namque haud ille, qui quondam fui,
Hæreo ſuperſtes: Umbra genitoris vagor
Poſt fata nati. Numen, hanc ſervi notam
Tibi ſacramus: noſter has pœnas tumor
Æquo dat animo. Gladius hic tibi ſtringitur
Vindex ruentis patriæ: intexto chlamys
Superba ſole forſitan cinget latus,
Poſt damna brevia, & veſtis ingratæ dolos.
Acr. Quanquam ſub inopi veſte quid ſervo tamen
Spiremus ore majus, horreſco notas,
Quæ me Copronimi vile mancipium exhibent.
„ Sed lateat ignis, robur e latebris trahat:
„ Ceu ſub cavernis preſſus & montes quatit:
„ Volare turres imperat ad auras ruens.
Solùm Tyranno adhibebo ſervilem manum.

Vt

Ut luce caſſum, ſtygia tranſgreſſum vada
Phlegethonte mergam, lentũ ubi ſcelus excoquat.

SCENA SEXTA.

Inter ſe certare fœderata bellatorum agmina, & eadem a Conſtantini copiis deleri narrat Rufus, & author eſt, ut ad ſua ſe caſtra Principes recipiant, quod ipſorum magnanimitati ſuadere nequit.

Rufus, & iidem.

Ruf. Conſilium arena præbeat. Noſtros amor
Commilites trucidat! hic illos cohors
Reperit amica Principum; quos fœdere
Tibi junxit amor, & aſſeclas hoſtis rata,
Ceu fictus oris color, & armorum indicat,
Pepulit in urbem, & agmine coronat gravi
Nos imparatos: multa certatim ruit
Acies Copronimi, certa quam palma allicit,
Dum ſeſe amici vulnere alterno premunt.
Fruſtra ipſe fudi verba: præcludunt viam
Dira arma menti: Martius apertis dolis,
Et me reperto: Confer ad Proceres gradum,
Inquit, volantem, noſque deceptos refer.
Frænabat illum vulnus. Occidet mora,
Si conſulamus. Noſne fraterno juvat
Induere ferro, & fata tardare aſſeclis?
Æolia vel nos penna ſecuros rapit
Ad avita caſtra? Nobiles fruſtra, Duces,
Donatis animas: tuta conſilia occupa:
Potes ultionem ferre, præſidium nequis.
Artab. Sic mea, ſodalis, hæret in dubio fides?
Deci-

Decipere poſſe credor? Urgemus gradum,
Comites, ad urbem: ſive referamus dolos,
Præliaque amica ſolvimus: Vel ſi furit
Ipſe Imperator, milite innumero irruens,
Generoſi in enſes imus: & ſequimur tuum,
O nate, curſum. Arcana tua, Numen, colo:
Ab amore lædor effero. Extremus trucis
Exigitur actus fabulæ. O Nate, o Duces,
O Patria, o fœcundus in luctum dies!

Al. Quà tenuit hoſtis, præpetem urgemus gradum.
Præviderам haud eſſe arma nobilium dolos,
Nec profuturos.

Dac. Condere ornatu jubar
Nobile latenti juvat, ut ultrices meos
Furiæ in Tyranni dirigant ictus latus.

Adr. Ultio cadentes fulcit: involvam pari
„ Hoſtes ruina. Namque ſperamus nihil,
„ Eſt certa Palma.

Ruf. Quantus undabit cruor!
Recede ab axe, Phœbe, ne videas nefas.

SCENA SEPTIMA.

Nicetas minor natu Artabaſdi Filius nondum conſcius mortis Nicephori fratris, ſed illius tantùm diſcriminis, ad ejuſdem gloriæ pro liberando Patre conſortium properat.

Nicetas, Viben.

Nic. Heu quæ maligna fama ad aures accidit!
Profecti ad arma fratris haud certa eſt ſalus.
Germane, cur pericla ſubiturus necis,

Lacry-

Lacrymis rogantem, ac voce, me comitem abnuis?
Contemptor animus munere ætatis brevi
Mercari honores gaudet: haud vires cadunt:
Vulnere ſequitur hoſtilis e noſtro cruor.
Cur pulveris, cur ſolis hoc metuens latus
Heliconis umbras amat? & arenti caput
Lauro ſuperbit, unda quam Pindi rigat?
Hæc Martiali fronde cæſaries cupit
„ Necti coronas. Languet Aonidum labor,
„ Niſi poſt avorum lecta monumenta æmuli
„ Scribenda facimus. Principes pueri incubant
„ Doctæ papyro, ut corda Proavorum hauriant,
„ Magnanima quorum geſta prævertant viri.
„ Quid, Cæſar, animi memoris imperium occupas,
„ Quid Macedo, tua ni fata generosè aſſequor?
„ Melius avorum decora me fugerent, avos
„ Niſi moribus coloro non impar nepos.
Palladis Alumne, colimus ingenium; etenim
Reges puertiæ placita Suadæ aſſeclis
Trademus olim? An milites facundiâ
Ut ad arma provocemus: ut belli dolos
Doctis metendas pateat ad palmas iter?
Nunc tempus urget pandere illuſtrem indolem:
In nos avos migraſſe, nec fruſtra diu
Impalluiſſe paginæ roſeas genas.
Me ruri agentem nobili fato eximit,
Sibique frater grande diſcrimen cupit.
Non immorabor. Parcat indulgens Pater:
Tua juſſa frangit indoles in me tua.
Nefas abeſſe memet a patria reor,
Dum patriam avito, genitor, exolvis jugo.

Vib. Reſiſte, Princeps: video anhelantem gradus
Celerare Ephœbum. Quære, quid ab Urbe afferat:
Num deſtinato curſui ſtatuat moram?

SCE-

SCENA OCTAVA.

Præceptum Patris de petenda Lycia incaſſum Ephœbus exponit Nicetæ.

Ephœbus, Nicetas, Viben.

Ephœb. Lyciam Aquilone invecte, mi Princeps, pete;
Urgent Parentis juſſa, qui Martem ciet,
Martemque vincit robore. Auxilium ſuis
Grande afferenti Cæſar incubuit ferox:
Patrem explicare Herculea nec virtus poteſt.
Niſi aſtra pugnent, vixit infœlix Pater.
Superſtes in te vivat: hinc greſſum amove.
Nic. Sic me, Juvenis, a Patre degenerem arguis?
Vitam indecoram protegam, occiderit Pater?
Nec qualecumque illi afferam auxilium celer?
Stat membra ferro cingere: excipiam hilaris
Tibi deſtinata vulnera: hoc, Genitor, jubet
De te hauſta virtus. Verba ſi ſuadent fugam,
Magnanime Pater, illam tuo exemplo vetas.

SCE-

SCENA NONA.

Suæ victoriæ plaudit Conſtantinus, & fateri cogitur bellicam Artabaſdi, & Sociorum virtutem. In eum invehuntur Clearchus, & Rufus, captivi.

Conſtantinus Imperator. Leo ejus filius. Phorbus Equitum ductor. Roſmanus Magiſter Equitum. Milites, Rufus, Clearchus, captivi.

Conſt. Bene eſt: momordit foſſa nobilitas humum.
Nunc parta verè eſt patria libertas: jacent,
Qui jura Plebis, & oderant Plebis Duces.
I nunc, ſuperbe, memet excipias jocis,
Conſilia ride noſtra: confoſſus jaces.
Periere patriæ Erinnyes; parta eſt quies.
Super aſtra victa gradior, & fatum premo,
O ter beatus! Nobili palmam tuli
Ex hoſte, fateor; gloriam amplificat meam
Aliena virtus, & diu certans manus.
Periere fortes: laudis hoſtilis cape
Solamen o quicunque confoſſus jaces.
Quod tenuit armis, corpore inſedit ſolum
Magnanimus hoſtis, vulnere adverſo cadens.
Poſt fata vivit ira, inardeſcunt minæ
Vultus rebellis: qualis occubuit ferox
Catilina quondam ſorte non alia ruens.
At quæ Artabaſdi dextra, quàm latè inclytam
Traxit ruinam, columen extremum Patrum!
Hoſtes ruinâ quot, rogo, involuit ſuâ!
Flumina cruoris, & cadaverum juga
Vallare corpus viſa, cum hæc haſta irruit
In perduellem. Vulnere occumbis meo:

Hoſtis

Hoſtis triumphas. Quamlibet telis novis
Infixa membris tela ſubriperent iter:
Ramoſus haſtis quamlibet clypeus nemus
Mavortis eſſet, animus hærebat ferox.
Perire neſcis, donec hoſti nobilem
Explicet ad umbras dextra Cæſarea viam.
Nunc regno: Ceſſit improbus tortor timor,
Quem neque fugat Rex, nec Cyclopæo domus
Vallata muro. Siccine ad noſtrum latus
Hæſiſſet hoſtis, ore ſervili meum
Diadema ſitiens? Perfidus pœnas dedit.
Ut aſtra plaudunt! Ante lugebat niger,
At nunc ſerenus ridet, & noſtram omnibus
Luminibus hilaris aſpicit palmam Polus.

Clea. Crudelis, erras. Aſtra lugebant, tuam
Palmam execrata nuper; at riſu Patres
Cælum excipit: ne crimina affinge Ætheri.

Conſt. Hos compes animos ſufficit? Linguam eruam.
Ducem ut ſequaris, fata tibi eadem inferam,
Gaudiaque creſcent, creſcet & riſus Poli.

Ruf. Vitam minare, mortis in voto eſt quies:
Diſſolve nexus animi, ut ad ſocios volet.
Quis me ruentem ab enſe per vim diſtrahit,
Quo me induebam ſponte? quis mortem invidet?
Molire ferrum, barbare, & vitam dabis.

SCE-

SCENA ULTIMA.

Irruens in Tyrannum, & mori vetitus Nicetas non funus, ſed triumphum Patris a ſe ſpectandum affirmat.

Nicetas, & iidem.

Nicetas armis cinctus enſe diſtricto ruit in Conſtantinum, & a Roſmano compeſcitur, ad quem verſus, inquit.

Nic. Nexus malignos amove: Ulciſcor Patrem.

Roſmanus enſem aufert Nicetæ, & hic in Conſtantinum inſurgens ait.

Actum ſupremum fabulæ impone ocyus:
Me pete.

Conſt. Niſi cuperes, tibi mortem darem.
Videat ſuperſtes natus exuvias Patris.
Cernere juvabit, quos puer motus dabit,
Videndo mortem corpus epulatam Patris.
Ex hoc novum victoriæ fructum exigam.

Nic. Fata execrandi criminis pœnam exigent.
Facibus Megæra perfidum amburet latus.

Conſt. Nunc te tuorum funere implebo, Puer:
Mortis theatrum lugubre haud procul hinc abeſt.

Nic. Funera? Trophæa, barbare, oſtendes Patris.
Qui ſic obit, triumphat, haud mortem ſubit,
„ Pro Patria qui concidit, palmam refert.

FINIS.

Mn Cr 2015152